Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Urban Timaeus

Tractatus de Effusione Spiritus Sancti Ex dicto Ioëlis cap. II. : In quo Doctrina De Ipso Spiritu Sancto, De Illius Essentia, Persona, Officiis Et Beneficiis; Nec non de caeteris, quae ad hunc insignem fidei articulum pertinent, Integra, plana & perspicua methodo explicatur ...

Lipsiae: Lipsiae: Lantzenberger: Grossius, 1611

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0001
DFG

46

49. d4.

F. a 1092 (46.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0002
DFG

1. Christo. Sorlegius de Mose Evangelista Actor. 1713. 4.
2. Jo. Georgius Meisnerus de יהוה et יהוה אלהים ad Gen. 1. 26. 7. Witteb. 1663.
3. Jo. Andr. Danzius de pluralitate personarum divinarum in consultatione divina. Gen. 1. 26. Jen. 1710.
4. Brand. Henr. Gebhardi Dissertationum de septiduum seu aetatibus mundi, sabbathismo et chiliasmum spicilegium. Gryphisw. 1702.
5. Jo. Henricus Willemerus de tunica Adami pellicea. ad Gen. III. 21. Witteb. 1690.
6. Gottl. Ekstenius de Junii DD magnatissimo ad Gen. III. 22. Witteb. 1692.
7. Jo. Andr. Danzius de Caini nomine vindicato. Diss. Gen. IV. 1. Jen. 1692.
8. Jo. Phil. Reisserus de homicidio Lamechi ad Gen. IV. 23. 24. Rost. 1670.
9. J. Buschius de adore quietis sacrificii Noachici Gen. VIII. 21. Witteb. 1690.
10. Franc. Fabricius de Prophetia Noachi. ad Gen. IX. 25-27. Lugd. Batav. 1716.
11. Christi. Loperwitzius de circumcisione Judaeorum ad Gen. XVII. 10. 11. Witteb. 1679.
12. Jo. Engelhardi Steuberi spicilegium observationum sacr. ad Gen. XLIX. 10. Rint. 1729.
13. Jo. Christo. Wichmannshausius de operculo arcae foederis propitiatorio. ad Exod. XXV. 17. 20. Witteb. 1720.
14. Adolf Geor. David Ziegra de oleo unctionis sacro ad Exod. XXX. v. 22-25. Witteb. 1680.
15. Christi. Waltherus de duabus tabulis lapideis ad Exod. XXXI. 18. XXXIII. 15. 16. Regiom. 1679.
16. Henr. Dassovius de ingressu in S. Sanctor. ad Levit. XVI. et Hebr. IX. Witteb. 1692. et novae ibid. 1734.
17. Jo. Musaeus de consecratione et expiratione ad Levit. XVIII. Jen. 1734.
18. a. Jo. Henr. Willemerus de nominis Jehova pronunciatione per legem Levitici XXIV. 16. concessa. Witteb. 1687.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0003
DFG

18. b. Mich. Beckius de vua magna Cananaea Jen 1679.

19. Christi. Sam. Ziegra de serpentis ignitis populo Israelitico in deserto divinitus immissis. Witteb 1684.

20. Jo. Justus Sonnenschmidius de hirci emissarii ductore ad Levit XVI. 21. Jen. 1719.

21. Gottfr. Zeibigius de vestimentis Israelitarum in deserto. Lips 1705.

22. Theod. Kirchmayerus de aenigmate Simsonis ad Jud XIV. 14. 18. Witteb. 1672 recus 1687

23. Herm. von der Hardt de melle Palaestinae ad 1 Sam XIV. 25. Helmst 1698.

24. Jo. Andr. Schmidius de monumento Absalonis ad 2 Sam XVIII. 18. Helmst 1702. recus 1710.

25. Andr. Sennertus de iis, quae fuerunt in arca foederis ad 1 Reg VIII. 9. 2 Chron V. 10 et Hebr. IX. 4. Witteb 1680.

26. Jo. Christi. Kirchmaierus de apparitione DEI symbolica ad 1 Reg XIX. 11. 12. 13. Marp. 1726.

27. Andr. Sennertus de loco Jobi XIX. 25. Witteb 1679.

28. Jo. Christo. Koernerus de סלה Lips. 1716.

29. Christi. Weidlingius de הנגינות ad Ps IV. V. Lips 1687.

30. Jo. Friedr. Mayeri commentarius Henr. Hopfneri in Ps. VI. Gryphisw 1703.

31. Wich. Lyserus de naturali corruptione totius generis humanae ad Ps XIV. 1. 2. 3. Witteb 1641. recus ibid A. 1713.

32. Jo. Georgius Abichtius de sermone coelorum ad Ps XIX. 2. Lips. 1705.

33. Jo. Gottl. Pfeifferus de commendatione animae in manus Domini perpetua ad Ps XXXI. 6. Luc XXIII. 46. 1 Petr IV. 19 Lips 1726

34. Andr. Sennertus de סוגים Hebraeorum ad Ps. XCIX. 6 Witteb. 1680.

35. Herm. von der Hardt de usu et abusu Ps CIX apud Judaeos Helmst 1714.

36. Christo Sontagius de judicio scripturae luculento de humanis praeiudiciis ad Ps. CXIX 105. 1698

37. Herm. Christo. Engelkenius Altorfii vindicatio Ps. CXLV, CIII, CXLIX a coruptelis consideratioq; novae poeseos hebraicae contra Capellum Rost. 1712.

38. Jo. Friedr. Nicolai de osculis contra Aben Ezra ad Canticor. I, 1. Jen. 1666.

39 Math. Hillerus de Sulammitidis deliciis ruralibus ad Cantic. VII. 11. 12. 13. 14. Tub. 1713.

40 Gottl. Eksteinius de assilegio circa sepulchrum Christi ad Jes. LIII. 9. Witteb 1685.

41. Zach. Grapius Christologia Jesaiana torularia ad Jes. LIII. 1. 6. Rost. 1697.

42. Jo. Georgius Kochius de mensa Gad et libamine Meni ad Jes. LXV. 11. Jen 1687.

43. Jo. Francisc. Buddeus de poena damnatorum nunquam finienda ad Jes. LXVI. 24. Jen 1728.

44. Henr. Klausingius de vocatione ad munus sacrum ablata temere non recusanda ad Jerem. I. 7. Witteb 1719.

45. Jo. Frischmuthus de nomine Messiae glorioso ad Jerem. Cap. XXIII. v 6. Jen. 1669.

46. Ant. a Mara S. Eliae Schnegassii versiones latinae quorundam textuum Hebraeorum Vet. Test. ex Cap. I et X Ezech. desuntorum. Rint. 1699.

47. Henr. Gottliebius Reimius de curru Jezechielis vatis. Jen. 1717.

48. Jo. Benjamin Martini de Palaestina terrarum decore ad Ezech. XX. v 6. et 15. Jen 1710.

49. Geor. Alb. Anthingius de sublesta [illegible] per Pygmaeos translatione ad Ezech. XXVII. v 11. Witteb. 1710.

50. ~~Christo Majorum~~ Jo. Andr. Schmidius de statua Cap. Nebucadnezaris ad Dan. III. 1. Jen 1699 et recus. ibid.

51.a Jeremias Friederici de Hosea eiusque vaticinio Lips 1715.
51.b. Sigism. Andr. Flachsius de experientia propria virtutis magistra Lips 1715.
52. Christi. Weissius de jurejurando per DEUM in Dan et vian Bersebae. ad Amo. VIII, 14. Lips 1728
6 ap
53. Sigism. Andr. Flachsius de abiete virente DEI symbolo ad Hos XIV, 9. Lips 1731.
54. Urbanus Timaeus de effusione Spiritus Sancti ad Joel. II. Lips 1611.
55. Jo. Georgius Abichtius de Jona fugiente ad Jon I, 1. 2. 3. Lips 1702.
56. Aug. Pfeifferi versio et examen Abarbanelis ad Obadiam. Witteb 1666
57. Theod. Dassovius de Missa Mallach I, II non indicata Kil. 1701.

TRACTATVS
de Effusione
SPIRITVS SANCTI
Ex dicto Ioëlis cap. II.
In quo Doctrina
DE IPSO SPIRITU SANCTO, DE ILLIVS ESSENTIA, PERSONA, OFFICIIS ET BENEFICIIS; NEC non de cæteris, quæ ad hunc insignem fidei articulum pertinent,
Integrâ, planâ & perspicuâ methodo explicatur;
Omnibus in Ecclesia Christi versantibus: docentibus & discentibus, ad informationem, consolationem & admonitionem &c. necessarius valdè, utilis & fructuosus,
autore
M. Vrbano Timæo, Pastore Cletiano.
LIPSIÆ
Excudebat MICHAEL LANTZENBERGER
Sumtibus Henningi Grosii Senioris,
ANNO M. DC. XI.

Reverendissimi superioris Ecclesiastici Consistorii Dresdensis

Præsidi Nobilissimo & Magnifico

Dn. Jonæ à Quingenberg &c.

Cæterisq; Assessoribus meritissimis, dignissimis:

Viris Reverendis, Magnificis, consultissimis, amplissimis & clarissimis;

Dn. Paulo Laurentio, SS. Theol. D. & Superintendenti Dresd.

Dn. Leonhardo Cöppelio, J. U. D. &c.

Dn. Urbano Hantschmano, J. U. D. &c.

Dn. M. Paulo Jenisio, Ecclesiastæ aulico primario.

Dn. M. Michaeli Niderstettero, Concionatori itidem aulico.

Dn. Joanni Seussio à secretis Ecclesiasticis.

Dominis Mecænatibus, patronis & promotoribus suis observandis & honorandis,

Salutem plurimam, eamq; perpetuam à Christo Iesu, salutis hujus authore, precatur & optat

M. Vrbanus Timæus, Pastor Cletianus.

DE Pentecoste Veteris Testamenti, Nobilissime Præses, Viri Reverendissimi, Magnifici & Consultissimi, unde originem illa traxerit; quo tempore instituta sit, (quinquagesimo scilicet die, à paschali solennitate numerando, ut ipsa τὸ πεντηκοστῆς vox innuit;) quàm diu duraverit, (per sedecim integra secula & amplius;) in quem finem denique ordinata & demandata Israëlitis fuerit (in memoriam nimirum patefactæ legis & asciti à Deo in peculium populi Iudaici,) ex Mose constat. Quia verò hæc, cum cæte-

ris Mosaicis ceremoniis abrogata est, in illius locum cessit longè altior & sublimior Pentecoste, facta visibili specie ignis & linguarum, in commendationem Ministerii prædicationis Evangelicæ, de Christo, resuscitato, & ad dexteram Patris sui exaltato; & in testimonium perpetuæ præsentiæ Spiritus sancti in hoc cœtu, qui hanc doctrinam de Christo amplectitur.

Non enim propter solos Apostolos hæc effusio visibilis facta est, sed propter totam Ecclesiam, cui Spiritus S. præsentiam suam & efficaciam perpetuam visibili isto adventu obstringere voluit, postquam Filius Dei carnem ex nobis assumtam, peracto in ea redemtionis opere, visibiliter in cœlum adduxit, inq; ea in throno Majestatis DEI consedit, acceptis donis in homines, inter quæ ipse Spiritus DEI, cujus plenitudine sancta Christi humanitas ἀμέτρως uncta est, & inde ad nos πηδάλιον μέρος, quantum nobis sufficit in nostra vocatione, demittit, primas partes obtinet.

Quapropter hodiernâ luce festum Pentecostes N. T. celebramus, festum scilicet Spiritus S. in memoriam patefactæ, inq; orbem publicâ prædicatione emissæ novæ legis, quæ est Evangelium de Christo exhibito & jam glorificato, ad salutem omni credenti. De Sion enim exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem.

Etsi autem utraq; Pentecoste numero & ἀναλογίᾳ quadã convenire videtur, juxta Augustinum Epistola 119. ad Ianuarium, cùm inquit: Occiditur ovis, celebratur Pascha; & interpositis quinquaginta diebus datur Lex ad timorem, scripta digito Dei: occiditur Christus, & tanquam Ovis ad immolandum ductus est, sicut Esaias 53. testatur,

teſtatur, celebratur novum Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus, datur Spiritus S. ad charitatem, qui Dei digitus eſt. Ratione tamen loci & effectuum, Vetus Pentecoſte à Nova multis modis diſtinguitur & diſcernitur.

Etenim Vetus Pentecoſte inſtituta eſt in Arabiæ monte Sinai, quæ vox Dumetũ ſignificat, ſicut Arabia confuſionem & commixtionem, quarum utrâq; legis natura non ineptè exprimitur: Nova verò in Sion, monte Vrbis Hieroſolymitanæ, ſuam ſumſit originem, quæ vox Speculam denotat, ſive etiam ſtatuam, in via publicâ erectam, Ier. 31. v. 21. quæ non modò oſtendit, quà eundũ ſit, ſed & peregrinantibus, ex itinere defatigatis, locum recreationis præbet.

Et talis eſt omninò doctrina Evangelii, quam efficaciâ & virtute Spiritus ſancti Apoſtoli muniti & induti, per totum terrarum orbem divulgarunt. Ea enim non modò verum nobis iter ad cœleſtem patriam monſtrat, ſed & defeſſis ac defatigatis dulce & ſuave præſtat refrigerium.

Vetus illa Pentecoſte tota fuit terribilis & horribilis, Dominus enim promulgaturus legem, in nube atra & igni deſcendebat: audiebantur tonitrua, coruſcabant fulgura: tremebat terra, fumabat mons: perſtrepebat tubarum clangor, imò tàm turbulenter ſeſe dabant omnia, ut populus metu perculſus, & irâ Dei exanimatus, à monte fugam adornaret, quia vox Domini ipſi, ſicut & erat, intolerabilis videbatur.

Quæ ſingula, nihil aliud denotarunt, quàm quædam effectûs legis ſimulachra, etiamnum fulgurantis & tonantis in cordibus hominum, & ad extremam deſperationem, maledictione ſuâ adigentis, niſi apprehendatur

justitiæ CHRISTI umbraculum, Esaiæ 4. At Nova Pentecoste suavis & jucunda est in rore & pluvia benigna, juxta vaticinium illud Psalmistæ: *Cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, Sela: terra commota est, & cœli stillarunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israël. Nunc verò pluviam benignam agitas Deus, & hæreditatem tuam defessam recreas.* Psal. 68.

Hæc pluvia benigna, munifica, liberalis, & plena gratiæ & suavitatis delabebatur super Apostolos, Spiritus gratiæ & mansuetudinis, de quo & hodie Ecclesia canit: Consolator optime, Dulcis Hospes animæ: dulce refrigerium &c.

Qua pluviâ recreati sunt David adulter & homicida: Maria Magdalena peccatrix illa nobilis, Latro sceleratus, Paulus persecutor Christi, Petrus abnegator Christi, & alii in luctu Spirituali constituti, in quorum animis, virtute Spiritus Sancti, per vocem Evangelii omnia conscientiæ trepidantis tonitrua discussa & dissipata sunt, & mens eorũ sensu iræ & judicii divini propemodũ exhausta, suaviſſimo hujus pluviæ rigore perfusa & recreata est.

Rectè proinde confertur Spiritus Sanctus pluviæ. Vt enim pluvia benigna, semper bona est, agris grata & accepta, maximè tamen siccitatis tempore: ità & Spiritus Sanctus semper bonus est, piis atq; fidelibus acceptus, inprimis autẽ tempore mœroris & anxietatis, quando æstu iræ divinæ cor hominis quasi exaruit, & vigorem omnem perdidit & amisit: tunc revera illud lætificat Spiritus sanctus, & vel unica hujus divini roris guttula, quovis auro & argento precioſior est, Ps 119. Sed ut impossibile est, terrã ex sola pluvia fœcundari, nisi insuper accedant ventorum

torum flamina, quæ promoveant istam fructificationẽ: ita fieri non potest, ut solâ verbi doctrinâ homo in se, ex se, & per se corrigatur, nisi accedat Spiritus sancti venti illius suavissimi συνέργεια, sicut Ecclesia canit: Sine tuo Numine, nihil est in homine: nihil est innoxium.

In illa Veteri Pentecoste populo non modò via in montem ascendendi fuit intercluſa, sed & Mosis, de monte reversi facies usq; adeò coruscavit, ut fulgorem ejus, citra oculorum periculum sustinere nemo Israëlitarum posset, unde velamine ei opus erat: In Nova verò Pentecoste scala quasi Iacobæa cœlo admota est, & adapertum nobis cœli ostium, ut per Christum ad Deum liberrimus pateat aditus & παῤῥησία. Ego, inquit Servator noster, sum via & veritas, Iohan 14. 3.

In Veteri illa Pentecoste præbetur nobis luculenta imago status Iudicii extremi, adversus impios. Nam ut populus universus ex Ægypto eductus, jussu DEI sistebatur ad radices montis, nec quisquam sese ejus conspectui subducere potuit: ita veniet hora, in qua nobis universis comparendum erit coram tribunali CHRISTI, ut quisq; nostrûm, secundum opera reportemus sententiam, Rom. 14. 2. Corinth. 5. Et ut hîc DEUS totum se formidabilem exhibuit tonitruum collisione, fragore horrendo, & aliis iræ signis, ita, ut propemodum tremore exanimarentur Israëlitæ, & fugâ sibi consulere cuperent: ita dubium nullum est, quin extremi judicii dies horrendus futurus sit impiis, Ioël. 2. Dan. 7. Matth. 25. Erit enim dies iræ, in quo DEUS, qui ignis consumens est, & usq; ad stygia ardet Averna, iram suam universam in hostes suos Tyrannos, hæreticos 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0013
DFG

ticos & impios effundet, & vindictam sumet de omnibus, nec iram suam justissimam cuiq; injusto effugere licebit, Eccles. 12.

At in Nova Pentecoste, in Christi Apostolis exhibetur nobis typus cœlestis gloriæ & beatitudinis electorum Dei. Vt enim hi unanimiter congregati piis vacant exercitiis, collaudantes Deum pro admirando redemtionis opere, & expectantes promissum sibi Spiritum: sic vita æterna nihil aliud erit, quàm unanimis congregatio triumphantis ac tripudiantis Ecclesiæ collaudantis DEUM, & perpetuis præconiis laudum extollentis immensa ejus beneficia, in genus humanum collocata.

Cæterùm, ut in ipsos discipulos ὁμοθυμαδὸν congregatos in Venti symbolo Spiritus Sanctus effunditur, quo suaviter recreantur, & novas quasi vires recipiunt, dum non modò linguarum dono exornantur, sed & eâ animi fortitudine instruuntur, ut excusso omni metu, Leonum instar prodeant, & magnifica Dei opera linguis novis prædicent: Sic vita illa æterna verè futura est καιρὸς ἀναψύξεως Act. 3. quo beatorum corda suaviter recreabuntur, insinuante sese illis Spiritu refrigerii, qui metum omnem excutiet, Ioh. 16. & novas suppeditabit vires, ut novis linguis deprædicaturi τὰ μεγαλεῖα θεοῦ, & perpetuas Deo laudes decantaturi sint, Esa. 6. 66.

Quæ omnia & singula nos, qui Christo nomen dedimus, in hac nova Pentecoste nobis in animum revocamus, recolimus & gratâ mente celebramus. Et sanè nos non modò: fecerunt id ipsum & pii in Veteri Testamento tempore Prophetarum, quibus & hæc Pentecoste non ignota fuit, licèt longo pòst tempore implenda

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0014
DFG

plenda. Vnde illorum vaticinia de hac ipsa Spiritus Sancti effusione passim extant, Esaiæ 44. v. 3. Ieremiæ 21. v. 2. 31. v. 31. Ezech. 36 v. 25. Ioëlis 2. v. 28. Inprimis Zachariæ 12. v. 8. habetur vaticinium προφητικὸν. Propheta enim Ecclesiam sui temporis, humanis viribus exutam planè, animat, spe felicioris successus, quem daturus esset posteris eorum dupliciter, 1. conferendo in eos insignia beneficia temporalia; deinde Spiritualia, quòd effusurus sit in eos Spiritum sanctum, (scilicet habitatores Ieruſalem illius Novi fœderis.)

Vaticinium bimembre.

In die illa, inquit Propheta, quâ particulâ Prophetis usitatâ, Ioël. 2. v. 28. Esaiæ 2. v. 2. Matth. 4. v. 1. Esa. 11. v. 10. circumstantia futuri & certi temporis indicatur; *protteget Dominus habitatores Jerusalem*, rapinis, irruptionibus vexatæ & miserè desolatæ, id est, veniet illa dies, quæ erit omnium dierum dies, dies κατ' ἐξοχὴν dicta, in qua Deus suos Hierosolymitanos sit protecturus, quibus Deus erit instar muri, quo tutos illos præstabit, quem hostes non expugnabunt.

I. Primum agit de beneficiis temporalibus.

1. חומה propriè murum significat.

Et ut omninò nihil habeant, quod objicere possint Domino, addit: *Et erit, qui infirmus fuerit, ex eis, in illa die, similis Davidi futurus*, id est, tanto à Deo induetur robore, ut futurus sit quasi David, qui Goliathum prostravit. Commodè autem adducit exemplum Davidis, Prophetæ. Non enim hic Rex, sed tiro imbellis, inermis, solus & sine viribus constitutus erat? Quasi dicat: Ægrotent sanè in re militari habitatores Ieruſalem; qui hîc Davidem armavit, & vos armabit.

2. *Imò Domus David tanquam Dij*, quæ verba, ut ἁπλῶς καὶ σαφῶς intelligamus, Psalmista hîc, Psal. 28. v. 6.

audiendus est, & γνήσιος sensus horum erit: Familia Davidis Magistratus officium administratura erit, ita, ut ἀξίωμα regium maneat penes hanc domum usq; ad adventum Messiæ, Gen. 49.

3. *Domus David, sicut Angelus Domini in conspectu eorum.* Quasi dicat Propheta: tàm certos & insignes Duces ex posteritate Davidica DEUS excitabit, qualis fuit olim Angelus Domini, qui deduxit Israëlitas per desertum.

4. *Et erit die illo, quæram, ut conteram & disperdam omnes gentes, qui se hostiliter opposuerunt loco meo sancto Jerusalem.* Contra hos ipsos, Ego Iehovah Messias, usq; ad victoriam pugnabo. Non enim sunt amplius Prophetæ verba, sed ipsius Messiæ.

Alterum de Spiritualibus.

Et hactenus de externis beneficiis. Illa autem quæ sequuntur hisce omnibus majora sunt; ut & Spiritualia. *Effundam* enim primò ego Messias, promissus mundi Salvator, ipse inquit, effusurus sum Spiritum Sanctum largissimè & abundanter.

Notetur autem hîc ὡς ἐν παρόδῳ divinitatis Christi ἰδίωμα & essentiale; Mittit enim Spiritum sanctum: Spiritus verò Sanctus missus non est inferior mittente, sed ejusdem essentiæ cum Patre & Filio. Sic enim mittitur, 1. ut Patrem & Filiũ individuos comites habeat, Ioh. 14. v. 23. 2. Nec de se ipso loquitur, Ioh. 16. v. 13. 3. Omnia ipsius sunt σύμφωνα doctrinæ Patris & Filii. 4. Omnia refert ad Patrem & Filium: 5. Vice versâ Spiritus Sanctus mittit Christum, Esa. 48. v. 16. 61. v. 1. 6. Virtute Spiritus Sancti Christus suum peregit Ministerium, Act. 10. v. 38.

Deinde quid: effusurus sum, dicit Messias per Prophetam;

phetam: *Spiritum gratiæ & precum*. Spiritum autem *Gratiæ* appellat ab effectu, quòd in animis eorum, super quos effundetur, excitaturus sit sensum gratiæ divinæ, in quam se receptos esse per inhabitationem hujus Spiritus, ἔσωθεν intra suæ conscientiæ motus, certò agnoscant & intelligant.

Precum verò Spiritum nominat, sive supplicationum & gratificationum item ab effectu & respectu nostri, idq; passivè. Est enim Spiritus talium supplicationum, quæ gratiosæ & cum gratia acceptæ sint apud Deum, eò, quòd vero & solido nitantur fundamento, id est, quòd fiant in nomine & agnitione filii DEI, in quo, & propter quem, omnes divinæ promissiones ratæ & confirmatæ sint, adeò, ut non dubitandum sit, preces & supplicationes nostras, quæ verâ, licèt languidâ sæpè, fide, promissiones in Filio, & propter Filium, Servatorem nostrum factas, unicè intuentur, jam exauditas esse à Deo Patre, Ioh. 16.

Et harum precationum Spiritus Sanctus, ut dixi, effector & author est. Idem enim fidem in nobis per ministerium Verbi & Sacramentorum accendit: cor nostrum inflammat: preces in nobis excitat: ad hunc unicum scopum dirigit, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, per & propter quem ingeminamus: Abba pater. Quæ & non modò efficaces sunt, sed & coram Deo Patre gratiosæ.

Deniq; super quos: *Effusurus sum*, inquit Messias, *hunc Spiritum gratiæ & precum super domum David, & super habitatores Jerusalem*.

Hæc verba continent *primò* dilucidam ἐξήγησιν eorum, quæ hactenus dicta sunt. Cum enim Propheta (ut & cæteri solent) de rebus Spiritualibus, tanquam de temporalibus, & ad hanc vitam pertinentibus, locutus sit, voluit ipse sibi esse optimus interpres, &, quomodò hæc omnia intelligenda sint, declarare. Vnde magna lux, imò ipse nucleus promissionum hactenus factarum edetur, si attendamus, quomodò & quâ ratione Deus splendidissimas istas promissiones deducturus sit in effectum.

1. promiserat DEUS, se muniturum esse Vrbem Hierosolymam, & habitatores vallo & sepimento. Sed quomodò? Dando illis Spiritum Sanctum, qui futurus est patronus, defensor, dux & πρόμαχος spiritualis Hierosolymæ, sub cujus patrocinio pacem habebit, inprimis ab hostibus spiritualibus.

2. promiserat Deus se daturum esse robur Heroicum & Davidicum, etiam infirmis. Sed quibus armis? Non carnalibus sed spiritualibus, id est, non machinando eis arma ferrea, sed effundendo in eos Spiritum Sanctum, qui infirmis addet heroicum & principalem animum, Psal. 51.

3. promiserat Deus, Davidis Domum futuram esse, instar Deorũ & angeli Dei. Sed unde illi hæc divinitas & Angelica præstantia? Respondet Messias: Effundam super eos Spiritum gratiæ, qui suâ gratiâ, suâ præsentiâ, & non solùm suâ, sed & piorum Ducum firmabit hanc Davidis domum.

4. Promiserat Deus se perditurum & puniturum esse hostes, eos videlicet, qui se spirituali suo Ierusalem opposuerunt, ut sunt gentes idololatræ, Antichristus & hæreti-

hæretici, & quotquot sunt in cœtu malignantium. Sed quibus mediis? Effusione Spiritus Sancti, qui arguet & convincet etiam, ut vis verbi innuit, istos hostes per ministerium Verbi.

Vides quomodò subsequens hæc promissio de Spiritus Sancti effusione, per superiora traduci debeat, ut ex his ipsis verbis, & non aliundè, genuinus sensus istorum verborum patefiat & ostendatur, quomodò fecerit non plus spei Propheta suo populo, quàm in eventu responderit.

Deinde non obscurè distinguunt hæc verba Domum & familiam Davidis, tanquam Magistratum, proceres & primores, ab habitatoribus Ierusalem, hoc est, à civibus & communibus incolis Vrbis & totius terræ. Et sic effusionem Spiritus Sancti derivandam esse, pronunciat Christus per Prophetam, Et in domum Davidis; & in reliquos habitatores: tàm in primates, quàm inferiores; tàm in proceres, quàm in subditos.

Tertiò, hac ipsâ distinctione observatâ, evidentem hæc ipsa verba faciunt differentiam in modo effusionis Spiritus sancti. Vt enim status Ecclesiæ Dei suos habiturus est Davides, seu suos docentes, Rectores & præsides, itemq; suos Hierosolymitanos cives, seu auditores & Christianos cæteros: ita in utramq; partem, dicit Deus per Prophetam, effundendum Spiritum sanctum, sed effusione, ex ratione donorum, diversâ.

Largiùs enim Rectores Ecclesiæ Christi, qui sunt Apostoli accipiunt Spiritum Sanctum; idq; modo visibili, propter Ministerium ipsorum, & opera in Ecclesia Christi peragenda, ut idonei sint. Quæ ἐνανόρης ex Spiritu

Sancto est. Aliàs sine ipsius numine, nihil est in homine. Et nisi intus sit, qui regat & doceat: frustra docentis lingua laborat.

Auditores autem seu habitatores parciùs, imò suo modo ac modulo, ita tamen, ut eundem Spiritum Sanctum accipiant, quantum illis ad salutem sit necessarium. Vna enim hîc tantùm designatur effusio, & unus Spiritus. Et differentia, si qua est, solummodò est in subjectis, & in modo effusionis & donis.

Deniq; διὰ βραχέων hæc ipsa Messiæ verba non tam Ecclesiæ, quàm illius membrorum continent descriptionem. Quia Domus Davidis est illa Ecclesia cui & Messias promissus erat, cujus sedes sive arx propterea mons Sion Sanctus appellatur: Constitui Regem meum super montem sanctum Sion, Psal. 2. Hunc enim locum Deus olim elegerat in tabernaculum, & in requiem sibi & arcæ sanctificationis suæ, Psal. 132. v. 5. 7. Eundem & nativitati Messiæ assignaverat, Esa. 59. v. 20. Rom. 11. v. 26. Et in constitutione deniq; Regni Filii sui, & Ecclesiæ, ex universo hominum genere, collectione, initium hîc fieri volebat, Es. 2. v. 3. Psal. 110. v. 2. Act. 1. v. 8.

Illi igitur sunt veræ Ecclesiæ membra, qui sunt habitatores Ierusalem, in qua Messiam θεάνθρωπον agnoscunt: Regem & Redemtorem suum colunt & celebrant. Et hi illi sunt filii DEI, cujus Spiritu reguntur & ducuntur, & adeò, ut illius auxilio & DEO grata & Ecclesiæ CHRISTI salutaria dicant & faciant.

Et hactenus de Spiritus gratiæ & precum effusione; de domo Davidis, & habitatoribus istis: super utrosq; effun-

effundetur ille Spiritus, habitâ tamen ratione diversitatis donorum Spiritus Sancti.

Quod Prophetæ vaticinium ut προμυθητικὸν, ita pulcerrima nobis præbet διδακτικὰ. Et primò desolationes & calamitates Ecclesiæ adventu Christi ultimo levandas & sanandas esse. Sic & Propheta Ecclesiam sui temporis calamitosam non nisi adventu Messiæ in carnem consolatur. Vt autem dies istius adventus, dies erat reparationis omnium: Sic ultimus erit dies restitutionis omnium, Act. 3. v. 19. Interea penes suum Dominum Ecclesia afflicta injuriam deponat, qui ultor erit &c. Tertul. lib. de patientia c. 15. Si injuriam apud Deum &c. I.

Deinde Spiritum Sanctum hanc spiritualem suam gratiam in nobis operari, I. inchoando primam fidei scintillam &c. juxta dicta, Iohan. 6. v. 63. 2. Cor. 4. v. 13. Eph. 1. v. 17. 1. Cor. 12. v. 14. Ioh. 3. v. 5. 1. Cor. 3. v. 3. II. continuando, quia ille nos confirmat & stabilit in semel agnita veritate, ut perseveremus. Huc illa, quæ habentur Psal. 51. v. 10. Rom. 1. v. 4. Rom. 5. v. 5. Eph. 3. v. 16. 2. Corinth. 1. v. 22. Roman. 8. v. 14. Gal. 5. v. 16. Roman. 8. v. 2. Gal. 5. v. 22. III. & deniq; consumando, Phil. 1. v. 6. Tit. 3. v. 6. 1. Corinth. 12. v. 13. II.

Tertiò Spiritum gratiæ, esse & Spiritum precum. Precari indesinenter, ardenter & constanter res ardua est. Constitutus est enim hic, qui orat, tanquam in acie, & contra tot hostes orando militat, qui omnibus modis & conatibus oranti se opponunt. Sed orando tamen flagellantur, cæduntur & superantur. Quod in solidum acceptum referendum est Spiritui Sancto, qui adjuvat nostram infirmitatem, III.

cor

cor regit, inflammat, & flectit, juxta dicta, Rom. 8. v. 26. 1. Cor. 12. v. 3. 10. Rom. 8. v. 16. Iohan. 16. v. 26. Et qui hoc precum autore instructi sunt, ij sunt veri illi adoratores, quos Christus dicit adoraturos in Spiritu & veritate, Ioh. 4. v. 23.

IV. Quarto deniq; eundem Spiritum sanctum esse tantùm in cœtu vocatorum & habitatorum Ierusalem. Simus ergo & nos in cœtu vocatorum. Nam pulcrè hoc in loco per domum David & habitationem Vrbis Ierusalem ille præfiguratur. In domo Davidis erit, qui indutus est Iesum Christum, quia is potissima pars domus Davidis, & ex sanguine illius prognatus est. Civis erit Vrbis Ierusalem, qui in librum cœlestis Hierosolymæ per fidem inscriptus est. Hic enim verus est Israëlita &c. Rom. 9. v. 9. Et quotquot tales sunt, ad eos pertinet effusio, & communio Spiritus Sancti, extra hunc cœtum nemini datur. Hinc Christus ascensurus præcepit discipulis, ne discederent, Act. 2. v. 4.

Magnam etiam hic Ecclesia Christi consolationem percipit & accipit sumtam à firmissimo sepimento & muro Dei, quo contra hostium irruptiones munita & vallata est. Permittit quidem sæpè Deus Tyrannis grassandi licentiam, unde querelæ Psal. 80. v. 13. Esa. 49. Sed tandem illam reprimit, è medio jam sublatis & deletis hisce Titionibus. Huc illa Psal. 46. v. 7. 18. v. 3. 87. v. 5.

Vel à singulari providentia Dei, qua Ecclesiæ suæ de bellatoribus & militibus non infirmis, sed animosis prospicit, qui tanquam fortes currunt, & quasi viri bellatores murum ascendunt, Ioël. 2. v. 7. & è muris, turribus & speculis hostes diligenter observant & audacter abigunt.

gunt. Quam militiam exercent ministri Ecclesiæ, non armis carnis, sed Spiritus, 2. Cor. 10. v. 4. Eph. 6. v. 12. Et quia contra tantos hostes non valet armatura ferrea, Iob. 41. v. 18. neq; vires humanæ sufficiunt ad rebellandum ei, itaq; Deus ipse animat & armat hosce propugnatores suo Spiritu, & induit eos virtute ex alto, ut sint idonei armigeri pro Domo Domini, & se opponere possint animosè incursionibus hostium. Ille enim docet manus nostras ad prælium &c. Psal. 144. v. 1. Ille dat Spiritum rectũ, Psal. 51. v. 12. Ille dat lasso virtutem, Es. 40. v. 29. ut cum ipso Diabolo congredi possint. Nam mundum per ministerium verbi arguere de peccato, opponere se idololatris, oppugnare hæreticos, detegere hypocritas, damnare peccatores, id diabolum ipsum adoriri est. Et ut hîc rem præstent, à Deo est, Mich. 3. v. 8.

Vel à virtute deniq; Dei quæ in infirmitate Ecclesiæ perficitur. Qualis enim erat David respectu Goliathi? 2. Cor. 12. v. 9. Cum Deo autem muros ascendit, & sanè ea præstat, quæ nec mundus nec satanas ipse valet præstare.

Quia verò hæc fortitudo & fiducia non ex nobis est, monemur, ut fragilitatem & virium nostrarum infirmitatem agnoscamus, 3. Cor. 3. v. 5. & 4. c. 7. 1. Cor. 2. v. 5. & 4. v. 7. & à solo Deo pendeamus. Eò enim, quòd in Ecclesia eundem Spiritum & eundem Christum habemus, omnium firmissimi & robustissimi sumus, ex gratia ejus, qui juvat pugnare, & qui dat victoriam, Rom. 16. v. 20. Et fides nostra est hæc victoria, & c. Ioh. 5. v. 4. Quia fides sibi applicat hanc victoriam, quam dat nobis Deus per Iesum Christum, 1. Cor. 15. v. 75.

Messias effundit: Spiritus Sanctus effunditur: itaq; eundẽ Christum & Spiritum habemus: Vterq; suum officiũ peragit in Ecclesia.

Qui hîc propriis viribus fidunt, illi expugnantur:

destituuntur enim muro DEI, Spiritu gratiæ & precum privantur.

Hæc & similia, quia in hac nostra Pentecoste Ecclesiæ Dei proponuntur, ego, ne meo loco desim, hunc tractatum περὶ τῶν αὐτῶν conscribere & vobis singulis & universis, Nobilissime Dn. Præses; & Viri Reverendi, Magnifici, atq; Clarissimi, eundem dedicare non dubitavi, adductus his rationibus, quas ex meis libellis supplicationum, non ita pridē ad Reverendum Virum, Dn. Paulum Ienisium, &c. de quo mihi optima quæq; polliceor; & ad vos singulos & universos missis, cognovistis & satis, ut spero, intellexistis. Et quia vobis muneris & status mei conditio non incognita est, hīc multus non ero. Curabitis & providebitis, & quidem rogatu meo quàm humilimo, ut per commodius, datâ & oblatâ ἐυκαιρίᾳ, promoveri possim. Quæ promotio, ut mihi & meis acceptissima, ita & Deo gratissima erit. Tota enim in ipsius laudes & gloriam amplificandam, divini Numinis auxilio directa erit. Spiritus Sanctus vos regat, ducat & gubernet singulos; & vestra consilia dirigat ad Numinis & Nominis divini gloriam, ad Ecclesiarum & Scholarum harum regionum salutem & incrementum. Dabantur Cletii XIX. Aprilis M. DC. XI.

V. N.
&
R. D. & Magnif.

humilimus

M. Urbanus Timæus,
Pastor Cletianus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0024
DFG

TRACTATUS de dicto Ioëlis 2. c.

Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somniabunt; & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos, & ancillas, in diebus illis, effundam Spiritum meum.

θεοφάνεια in Baptismo Christi.

Nota est illa θεοφάνεια Trium in una divinitate ὑποστάσεων seu personarum tam illustris, ut similis huic nec in Veteri nec in Novo Testamento extet, Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3. Quæ quale & quàm jucundum spectaculum auditoribus & spectatoribus præbuerit, hinc facilè apparet.

Iucundum spectaculum præbuit ob quatuor causas.

1. *Viderunt enim cœlos χιζομένες, quia hæc apertio cœli debebat esse testimonium de cœlesti origine hujus doctoris & doctrinæ ejus, quæ per ministerium verbi & sacramentorum cœli portas credentibus reseratura; quòdq. Christus suo officio copulaturus esset, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, Eph. 1. v. 10.*

2. *Deinde, audiverunt ipsius Patris cœlestis vocem, instar tonitru, Ioh. 12. v. 29.* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Qua ipsa ad officium redemtionis & salvationis generis humani cœlesti solennitate renunciatus fuit Servator noster, ac designatus ille magnus Propheta, Deut. 18. v. 18. Nam ministerium Novi Testamenti in ipso dedicandum erat, Esa. 61. v. 1. Tertiò, viderunt Baptisatum Christum à Joanne*

3. *Baptisari*

Baptisari enim voluit Dominus, ut nostrum Baptismum, à se ipso institutum, sanctificaret, & testaretur, Nos per Baptismum effici membra ipsius; & coalescere q. cum ipso. Gal. 3. v. 27. Rom. 6. v. 4. Eph. 5. v. 16. 1. Cor. 12. v. 13. Denig, quod maximè huc facit, viderunt descendentem Spiritum sanctum in specie Columbæ, de qua Tertullianus contra Marcionis phantasma disputans, inquit: Tàm verè erat Columba, quàm verè erat Spiritus. Certum enim est, juxta Augustinum, Spiritum sanctum non fallaciter apparuisse oculis hominum, & spectatoribus imaginario phantasmate illusisse: Sed verum fuisse animal, de novo, sine aliarum columbarum ministerio creatum, quod post officium illud statim esse desierit.

4. quæ huc facit.

De qua Augustinus.

Apparitio S. S. vera.

Quanquam verò nonnulli adserant, quòd in visionibus semper usitatæ fuerint tales apparentiæ, inprimis, cum addatur particula ὡσεὶ, quæ & extet Act. 2. v. 3. & ostendat non veras, aut elementares fuisse flammas; acquiescimus tamen in nudo ac simplici verborum intellectu, nec curiosè inquirimus, quare columbæ potius, quàm ignis, vel aliâ visibili specie Spiritus Sanctus descenderit. Non enim omnium operum Dei ratio vel inveniri vel reddi potest. Quia verò externæ species apparitionum Divinitatis plerunq; ad illud, quod agebatur, declarandum accommodatæ fuerunt, & nobis piè ex ipsa scriptura de fine hujus apparitionis Spiritus Sancti cogitandum erit.

Cujus ratio non scrupulosè inquirenda.

Sed de eâ nobis piè potius cogitandum.

Quia ob duas causas in specie columbæ apparuit.

1.

Apparuit itaq; Spiritus Sanctus in specie columbæ & requievit super Baptisandum Christum, ut non modò distinctio personarũ Divinitatis aliquo modo clariùs nobis ostenderetur, & prædictioni eventus responderet, Psal. 45. v. 8. Esa. 61. v. 1. ipsius Patris inprimis, Ioh. 1. v. 33. sed ut maximè Spiritus Sancti officium adumbraretur. Columbam enim esse figuram ministerij Evangelij, & Ecclesiæ, quæ per hoc Ministerium colligitur,

ostendit

ostendit sacra scriptura, Esa. 60. v. 8. Psal. 68. v. 14. Cant. 2. v. 10. 5. v. 2. & 6. v. 8. Quia igitur Spiritus sanctus unc turus Christum ad prædicandum Evangelium, in columbæ specie descendit, procul dubio externâ illâ specie figuravit, quale sit Ministerium Christi, & quos effectus in Ecclesia producat, Mat. 12. v. 19. Non contendet, non clamabit, linum fumigans non extinguet. *Et Matth. 10. v. 16.* Estote simplices, sicut columbæ. *Ideò autor Vitæ Jesu septem proprietates columbarum recitat, & satis aptè huc accommodat. De quibus alibi.*

Hinc etiam, quòd Typus ille tendat, de quo Gen. 8. legitur, Ex quibus & Typus Gen. 8. declaratur. *satis apparet. Commodè enim transferri potest ad Spiritum sanctum, qui per ministerium Verbi, pacem Ecclesiæ suæ adfert, illamq; efficaci consolatione erigit, eò quòd Patris ira interventu filij sui Mediatoris nostri Jesu Christi placata & penitùs composita sit.*

Chrysostomus aliam deducit ἀναλογίαν ad Columbam Noachi, quæ illis, qui ex aquis diluvij, divinâ clementiâ salvati erant & servati, attulit ramum virentis olivæ, testimonium placatæ iræ Dei. Baptismus enim, 1. Pet. 3. v. 20. cum Arca in diluvio confertur. Et quia Christus ideò baptisatus est, ut impleret omnem justitiam, Spiritus sanctus beneficia illa Baptismi, tanquam arrhabo inter Deum & nos, obsignaturus descendit columbæ specie. Item, quia Christus prædicaturus erat annum acceptabilem Domini, placatâ irâ ejus, ideò unctus est Spiritu, in columbæ specie, sicut cessante diluvio, columba ramum olivæ ferens nunciavit iram Dei placatam. De quo ἀναλογίᾳ Chrysost. nota est.

Hæc est illa suavissima Ministerij pictura, per quod Deus nobiscum agit, quòd Spiritus sanctus descendit & manet super Christum, qui ad prædicandum mittitur, non formidabili aliqua, aut nimis augustâ specie, sed columbinâ, hoc est, simplici & placidâ Inprimis hæc apparitio Spiritus Sancti suavissimam Evangelii picturam continet.

placidâ ſpecie, ne abſterreamur ipſum cum fiducia in miniſterio quærere & accedere.

Occaſio à tempore deſumta eſt.

Quia verò hoc tempore de Spiritu Sancto, qui per miniſterium Verbi & Sacramentorum uſum efficax eſt, agimus: par eſt ac decet, ut de eodem aliquid dicamus, & in medium proferamus.

Ratione ordinis & utilitatis.

Quod ipſum fieri à nobis poſtulat ordinis & utilitatis ratio.

Ordo enim convenientiſſimus eſt.

In feſto enim Nativitatis filij Dei percepimus immenſam DEI miſericordiam, adventu filij ſui in carnem noſtram, declaratam: In feſto Reſurrectionis Chriſti omnia illius beneficia tàm θετικὰ, quàm σωτηρικὰ nobis parta ſunt: in hoc verò τῆς πεντηκοστῆς feſto, agimus de Spiritu Sancto, qui illa omnia in nobis, per veram fidem applicat, & nobis propria facit, quam per media θεόθεν ordinata accendit, auget, cumulat & confirmat. Niſi enim hoc in nobis Spiritus Sanctus efficeret, parùm nobis hæc omnia prodeſſent. Sine tuo numine, nihil eſt in homine &c. Et impoſſibile eſt ſine fide Deo placere, *Ebr. 11.*

Vtilitas ex Macario aliquo modo conſtat.

Utilitatis ratio in eo conſiſtit, de quo Divus Macarius Homil. 25. piè admodùm inquit: Hic ignis & divinæ flammæ ardor in fugam pellit Dæmones, & tollit peccatum: eſt potentia reſurrectionis & immortalitatis efficacitas, id eſt, ſuâ præſentiâ efficit reſurrectionem & immortalitatem: Eſt denique ſanctarum mentium illuminatio. Itaq; quanta ſit hujus feſti, in quo de doctrina Spiritus ſancti Eccleſia agit, dignitas & neceſſitas, facilè inde colligitur.

Feſti præſentis dignitas & neceſſitas.

Argumentũ ſumitur ex 2. c. Ioëlis.

Ut autem nobis de certo argumento conſtet, ſumemus nobis, divini hujus Numinis auxilio, declarandum illud Joëlis dictum omnium de Spiritus Sancti effuſione clariſſimum.

In quo agitur de regno Meſſiæ Spi. 1.

Et enim in hoc agit Propheta de regno Meſſiæ venturi, Spirituali, cujus duo potiſſimùm actus conſtituuntur. Primus continet

Chriſti

rituali, cujus duo actus constituuntur, 2.

Christi regni auspiciam, factum in Ascensione illius, & sessione ad dexteram Patris sui, ubi per missionem Spiritus Sancti toti mundo seipsum Regem declaravit; & plenariam usurpationem suæ majestatis omni populo ostendit. Secundus continet judiciariæ suæ potestatis executionem, qua hostes suos singulos & universos pedibus suis subjiciet & conteret, omnesq; principatus, qui huic se suo regno unquam opposuerunt, evacuaturus est.

In regno Christi illustres.

Hi duo actus in regno Christi illustres sunt, quorum ille primordium: hic finem hujus imperij concernit.

Et sanè primus ille actus declaratus est illustrem in modum, post ascensionem in ferijs primæ Pentecostes in Novo Testamento, sub adventum Christi primum. Alter adhuc super est, eritq; in novissimo die, post secundum & ultimum Christi adventum celebrandus.

Qui à nostro Propheta declarantur. μεσιτικὸς.

De utroq; noster Propheta agit, & utrumq; non secus ac Angeli, Act. 1. v. 11. conjungit. Hinc duæ hujus prophetiæ partes constituuntur. Quarum prima agit de majestatico auspicio, & declaratione regni Christi, quod per missionem Spiritus Sancti visibilem, maximoperè illustratum est: Altera de regali Christi reditu ad extremum judicium. Hac vice de prima agemus, & Colophonis loco, de Spiritu Sancto succinctam addemus methodum.

ἔφοδος.

Faxit Deus ter optimus, ut ipsi grata, & Ecclesiæ salutaria dicamus & faciamus, Amen.

Vaticinii dignitas ex Petro.

Vaticinium hoc de Spiritus Sancti effusione, præ reliquis, insigne esse, Petrus, os Apostolorum, testatur, quando in concione sua ἐλεγκτικῶς illud ipsum sufficienter satis allegat, Actorum 2. v. 15. Non sicut vos existimatis, hi Ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia; Sed hoc est,

est, quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit post hæc in novissimis temporibus &c. *Quibus verbis hoc dicere vult Petrus: Nunc viri spectatores, completur per hanc miraculosam linguarum & donorum Spiritus Sancti dationem & distributionem, quam oculis coram intuemini, illud quod Joël prædixit, qui in Spiritu hunc actum prævidit: Hoc igitur, quod videtis fieri, id ipsum est, quod Joël antè prædixit, & contrà quod Joël prædixit, nihil aliud sibi vult, quàm quod hîc nunc coram fieri videtis. Cujus concionis effectus etiam tantus extitit, ut ter mille animas unâ die converteret.*

Et ipsis Rabbinis æstimatur.

Et Petro ὁμόψηφοι sunt ipsi Rabbini, quantumvis alium cum omnibus Judæis, in reprobam mentem traditis, Meßiam, præter Jesum Nostrum, frustra somnient. Nam hanc ipsam prophetiam; & rectè quidem, ad tempus futurum Meßiæ referunt, in quo abundanter Spiritus sanctus, quò ad donum prophetandi, sit dandus.

Declaratio illius κατ' ἀνάλυσιν.

Illa autem prophetia sic se habet: Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somniabunt; & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas, in diebus illis, effundam Spiritum meum.

Quasi dicat Deus per Prophetam; Res nova, res magna, insolita & inaudita, post hæc omnia, quæ prædicta hactenus sunt, eveniet. Id verò, quando futurum sit, Petrus in Actis explicat, cum novissima tempora appellat, & autor epistolæ ad Ebræos novissimos dies, Heb. 1. v. 2. Et clausula Post hæc, *in antecedentia quasi digitum intendit, de quibus Propheta vaticinatus erat.*

Occasio pro-

Sub initio enim suæ prophetiæ sub forma gravis querelæ prædixe-

prædixerat Propheta, quid perpessurus esset populus Israël ab Assyriis, quos miris coloribus prosopopœiæ, sumtæ ab insectis, describit, atq; hoc nomine jusserat ejulare omnes hujus regni incolas, cujuscunq; ordinis & conditionis etiam essent, inprimis Sacerdotes & Altaris ministros, eò quòd clades imminens non tantùm arbores, id est, Magistratum politicum, qui Ezech. 31. v. 3. Dan. 4. v. 19. per arbores, non sine gravissimis causis, præfiguratur; non sponsum & sponsam, agricolas & armenta, id est, statum œconomicum, sed & Ecclesiasticum sit miserè invasura, atq; penitus eversura totum Dei cultum, Sacrificia, Libationes, & omne religionis purioris & syncerioris exercitium. Unde maximè opus fore contenderat jejunijs & precibus.

phetiæ à tribus pendet. 1.

2.

Simul etiam promiserat Propheta, & quidem nomine Dei, liberationem ab hostibus, vindictam, recuperationem bonorum temporalium, & restaurationem politiæ & œconomiæ.

3.

Addiderat autem, (quod huc facit maximè) promissionem singularem de restaurando cultu divino, post reductionem ex captivitate Babylonicâ, nomine Dei promittens, repositum illum iri in locum pristinum, instaurato denuò templo, ac urbe, per Nehemiam & Esdram, sicut postea evenit; docentibus iterum in repullulante Ecclesia, Doctoribus justitiæ, ut c. 2. v. 3. loquitur, quales fuerunt Haggæus, Zacharias & Malachias, & qui subsequentibus Maccabeorum temporibus cultum Judaicum servarunt, & qualescunq; alij justitiæ Doctores fuerunt, usq; ad tempora novissima, hoc est, ultimam mundi partem in quam τὸ πλήρωμα τῶν χρόνων incidebat, quo Christus veniebat in carnem. Ita tandem sequitur, postquam hæc omnia sic ordine non interrupto completa sint, futuram hanc abundantem Spiritus Sancti effusionem. Quæ continuatio historica cate-

4.

Quæ intellectum hujus vaticinii nobis monstrant.

natim ex Joële contexta nobis evidenter monstrat non tàm

 successum,

successum, quàm cum successu intellectum hujus vaticinij, quod tùm demum implendum erat, quando restauratus jam, & in illa restauratione, utcunque persistens erat cultus Iudaici templi.

I.

Verbum effundendi i. Spiritus Sancti officium adumbrat.

Tunc enim exhibito & ingresso in majestatem regni sui Messiâ Iesu Christo dicit Propheta, vel verius Deus per os Prophetæ: Effundam, *seu, ut vis verbi innuit,* abundanti & exundanti quâdam copiâ emittam Spiritum meum sanctum, *(ut & Paraphrasis Chald. habet) Metaphorâ sumtâ à copiosa aquæ fusione, qua Spiritus sancti officium pulchrè admodum adumbratur.*

Qualis sit effusio?

Hæc autem effusio sine physica, aut locali evacuatione vel etiam emanatione accipienda est, quippe, quæ in essentiam deitatis illocalem & indivisibilem non cadit.

2.

Et gratiosam Spiritus Sancti habitationem.

Cæterùm hac effundendi metaphorâ Deus haud obscurè innuit, gratiosam Spiritus sancti inhabitationem in credentium cordibus, tàm futuram esse illustrem, ut ceu rupto quodam gurgite videatur Spiritus sanctus erupisse in corda hominum. (Non dissimilis loquendi ratio extat in Matthæo de regni Christi amplificatione, quia βιάζεται, vim quasi patitur. Peccatores enim μετανοοῦντες impetu quasi facto penetrant, & in regnũ Christi se conferunt.)

II.

Super omnẽ carnem ἐπὶ πᾶσαν σάρκα.

עַל בָּשָׂר

Carnis significatio.

Missurus autem est Deus hunc Spiritum tùm temporis super omnem carnem, *non adhibito amplius discrimine certæ alicujus nationis, aut gentis, super ipsas gentes, pro conditione novi illius regni Messiæ, ad quod etiam gentes convocabuntur; destructâ macerie inter Gentes & Judæos.*

Caro *hîc hominem corruptum & peccato depravatum significat, in carnalibus concupiscentijs genitum. Quando igitur jam dicit Deus per Prophetam, se largiturum Spiritum Sanctum* Omni carni, *intelligit tàm Judæos quàm gentes:*

utrosq;

utrosq; in peccatis conceptos, natos & corruptos. Distinguenda verò hîc est effusio illa visibilis Spiritus Sancti, ab invisibili, & spirituali, quæ fit per Ministerium verbi & usum Sacramentorum. Illa semel facta est in die τῆς πεντηκοστῆς, juxta prophetarum vaticinia, & ipsius Christi promissionem, cum jam in cœlos ascenderet: hæc cotidiè fit per auditum verbi, & salutarem sacramentorum usum. Ita effusus est Spiritus Sanctus super illos qui audiverant Petrum tùm concionantem, Actorum 2. vers. 5.

Effusio Spiritus Sancti duplex.

I. Ioël. 2. Zach 12. Iohan. 16. Act. 1. 2.

Et hoc illud divinæ misericordiæ τεκμήριον est: hoc suspiciendum & mirandum, quòd Deus hunc Spiritum suum non Angelis, aut Angelicis naturis, sed hominibus qui caro sunt, & dicuntur, in carnalibus geniti concupiscentijs; & nihil sunt, nisi fœnum, se largiturum promittit.

Misericordiam Dei declarat & amplificat.

III.

*Atq; effusus & datus ille Spiritus non erit ἄεργος, sed effectum dabit, ut hoc munere donati, illustrissima motuum Spiritualium in sese specimina edant. Primò enim Spiritu Sancto impulsore agitati, & repleti ἐλλάμψει spirituali, propheta-*bunt, *id est, proferent rerum divinarum arcanam, & ψυχικῷ ἀνθρώπῳ incognitam doctrinam, quam & ipsi intelligent; & alios intelligere facient. Hinc & Videntes dicuntur, quòd clarâ luce per beneficium radiorum Spiritus Sancti futura videant & certò eventura pronuncient. Itaq; in præterito loquuntur, ut Esa. 9. v. 6. Puer natus est nobis; & Filius datus est nobis, quasi res jam in actum deducta esset, quæ tamen à tempore Esaiæ post septingentos & quinquaginta annos circiter implenda demum fuit.*

Effusus Spiritus Sanctus non erit ἄεργος וְלֹא־יִבָּאֵר מַשְׂפִּיתוֹ &c.

Quid sit prophetare.

Prophetæ dicuntur videntes ab effectu. Vnde in præterito vaticinãtur. Esa. 9. v. 6. Psal. 98. v. 2. 45. v. 8.

Similes loquendi formæ etiam alibi extant: Veluti Psal. 89. v. 20. Ubi de venturo Messia perinde inquit Ethan: Posui adjutorium in potente, & exaltavi Electum de plebe: Inveni

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum, *pro: ponam adjutorium in potente: exaltabo electum de plebe: inveniam David servum meum: tingam oleo meo sancto. Et Psal. 45. v. 8.* Vnxit te Deus oleo lætitiæ, *pro unget. Unctioni enim Christi futurum, idq; certum tempus determinatum erat à Daniele, c. 9. v. 24.*

Ob quatuor causis gravissimi ponderis.

Non est autem hujusmodi prophetica Enallage nuda, Grammaticalis figuratio, aut verbalis ornatus, sed plus illa habet in recessu, usurpaturq; à prophetis propter sequentes causas. 1. *Quia hoc ipso prophetæ testimonium reddunt, se futura, de quibus vaticinantur, haurire ex illa divinitatis abyssо, in qua propriè non est πρόγνωσις, sed γνῶσις, non prius aut posterius, sed cui omnia sunt præsentia. In quod divinæ hujus scientiæ speculum, siquidem per œconomiam singularem illis datur ad tempus intueri, statim, ut vident ibi per notitiam intuitivam omnia, etiam futura in præsenti & instanti, ita quoq; pergunt res futuras ibi visas verbis præsentaneis exprimere & eloqui.* 2. *Deinde faciunt hoc ob certitudinem eventus, qui tàm illis immotus est & infallibilis, atq; si actu ipso esset completus. Sunt enim hæ promissiones categoricæ destinationis, quæ ex immobili Dei decreto pendent.* 3. *Tertiò volunt Prophetæ hisce loquendi formulis se concines profiteri Ecclesiæ Novi Fœderis, cui verba præeunt, quomodò de Christo olim loqui debeant.* 4. *Quartò denique his ipsis ijdem nos docere volunt, Christum hodie & heri; seu Agnum Dei occisum esse ab origine mundi, id est, beneficia Christi, merito suo nobis parta, sempiterni vigoris esse antè & pòst. Non enim nobis saltem in Novo Testamento Christus natus & datus est, sed & illis, qui vixerunt in Veteri Testamento. Unus enim salvationis modus est tàm in Novo, quàm in Veteri Testamento. Quia* credimus nos salvari, quemadmodum Patres nostri salvati sunt, *Act. 15. v. 11.* Porrò

Verbū prophetandi tres significationes habet.

Porrò prophetandi *verbum* πολλαχῶς λέγεται *in sacra scriptura: aliàs in stricta: aliàs in latiore, aliàs denique in latissimâ significatione, sicut & nomen Prophetæ sumitur.*

Prima.

In stricta significatione Prophetare significat vaticinari, vel futura, antequam eveniant, prædicere, ut Luc. 1. v. 67. Zacharias prophetavit, id est, futuros rerum eventus de suo filiolo prædixit. Sic & Caiphas de morte Christi prophetavit, quia Pontifex erat. Non quia per se Caiphas, sed quia Pontifex. Prophetavit itaque ratione officij, cujus hîc Spiritus Sanctus rationem habet. Sic Lex & Prophetæ usque ad Joannem prophetarunt, Matth. 11. v. 14.

Altera.

Deinde in latiori significatione sumitur Prophetandi verbum, cum non de futuris tantùm, sed quibuscunque arcanis revelandis, maximè ijs, quæ ad agnitionem nominis divini & fidem faciunt, agitur. Et sic prophetare, idem est, ac μυστήρια θεῦ *tradere, docere, & Scripturam* κατ' ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, *seu analogiam fidei rectè & dextrè interpretari, sicut Paulus præcipit prophetiam fieri debere secundum analogiam fidei, Rom. 12.*

Postrema.

Denique in latissimâ significatione non tantùm hunc unum, sacram scripturam interpretandi, actum denotat, sed quæcunque mystica officia peragere, ut 1. Sam. 10. v. 10. Cœtus Prophetarum occurrebant Sauli prophetantes in Psalteriis, tympano, tibiis, *hoc est, laudantes Dominum, orantes, canentes, benedicentes* DEO, *& si quid est hujusmodi. In hunc sensum & Paulus 1. Corinth. 14. v. 3. loquitur:* Qui prophetat, *inquit,* loquatur ad ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem. *Ergo consolari aliquem in adversis; exhortari ad sectandam pietatem in vita; ædificare aliquem & erudire in doctrina fidei, legendo, disputando, concionando, mente,*

calamo, linguâ, id ipsum erit prophetare: διὰ βραχέων, quicquid Spiritus Sanctus donorum effundit, id hoc prophetandi verbo comprehenditur, sicut varia donorum genera recensentur 1. Cor. 12. v. 8.

Inprimis prophetandi verbo prophetа ad linguárum varietatem respicit.

Inprimis verò hoc ipso, Propheta noster respicit ad linguarum varietatem, quam excitaturus sit Spiritus, quæ peropus erit Apostolis in Novo Testamento. Ut enim Prophetæ in Veteri Testamento mittebantur, quorsumcunq; Deus eos impelleret: ita Apostoli, hi Novi Testamenti Prophetæ, hinc inde mittentur, sed adjuti à Spiritu Sancto, & linguarum cognitione donati egregios facient progressus, edendo simul miracula magna, sicut olim etiam Prophetæ doctrinam suam miraculis confirmarunt.

Cum interim & inter Apostolos prædicendi virtus non quieverit. Sicut exempla ostendũt.

Interea tamen & inter Apostolos illa prædicendi virtus non penitus quiescet. Nam & quæ futura sunt, Spiritus Sanctus annunciabit illis, *Ioh. 16. v. 13. Huc illa prophetiarum exempla passim extant, ut Pauli 1. ad Tim. 4. v. 1. & 2. ad Tim. 3. v. 1. Petri 2. Pet. 3. v. 3. Iohannis in Apocalypsi. Et Eusebius ex Apollinario Prophetas Novi Testamenti recenset, lib. 5. c. 17. suæ historiæ, Agabum, de quo Act. 11. v. 28. & cap. 21. v. 10. Judam, Silam, filias Philippi, Act. 21. v. 9. Amniam Philadelphiæ, Quadratum: Qui tamen omnes non de futuro aliquo Messia prophetarunt, sed eventus quosdam ad Politiam, Ecclesiam & Ecclesiæ doctores pertinentes, præviderunt & prædixerunt.*

IV. Quinam sint prophetantes. Quibus discrimen conspicitur inter Prophetas V. & N. T.

Nunc descendit Propheta ad speciem, & quinam illi sint, qui Prophetabunt, subindicat, 1. Filii vestri & Filiæ vestræ. 2. Senes vestri & Iuvenes vestri, 3. Servi vestri & ancillæ vestræ. *Quo ipso evidens discrimen constituitur inter Prophetas Veteris & Novi Testamenti. Etenim in Veteri rarum & charum hoc prophetandi donum erat, & solis filijs prophetarum,*

non

non admodum magnæ frequentiæ concreditum. At in Novo Testamento cum magno numero exercendum erit, sine discrimine generis, familiæ aut etiam sexûs. Prophetabunt enim, filii vestri cum filiabus vestris, dicit Propheta. Itaq; extendet se hoc donum Spiritus Sancti etiam ad fœminas, sicut exempla testantur. Actorum enim 1. v. 14. legimus fuisse in cœnaculo, quo Apostoli convenerant, & Spiritum Sanctum accipiebant προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει *Mariam matrem Jesu, cum alijs quibusdam non paucis mulieribus, quæ Spiritum Sanctum simul acceperunt, & paulò antè quatuor filiarum Philippi prophetantium mentionem fecimus.*

Prophetandi donum in Novo Testamento mulieribus concessum.

Et hoc prophetandi donum in Apostolicâ Ecclesiâ valde mulieribus fuisse familiare, evidenter colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 11. v. 5. cùm de mulieribus prophetantibus hunc sancit ordinem, ut ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ *orent & prophetent.*

Et quidem viris, senibus & juvenibus sine ætatis respectu.

Neq; in horum donorum dispensatione apud Deum ullus ætatis respectus erit. Nam & Senes vestri somnia somniabunt, & Iuvenes vestri visiones videbũt. *Quibus verbis Propheta haud dubiè ad promissionem Dei respicit, quæ extat Num. 12. v. 6.* Si quis fuerit inter vos Propheta Domini: In visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ad illum. *Tot enim modis Deus tum temporis se revelare solebat. Quando igitur hîc dicit Propheta,* Et Senes vestri somnia somniabunt, & Iuvenes vestri visiones videbunt, *ad ingentem copiam & lumen veræ agnitionis & revelationis Dei passim per orbem terrarum futurum digitũ intendit, non quòd Deus hos amplius modos in Nov. Test. frequentaturus sit, sed (sicut solent prophetæ phrasibus sui temporis futura prænominare) id quod ante per visiones & somnia præstiterat Deus, nunc immediatè per effusionẽ Spiritus Sancti*

Quò Propheta respiciat?

Et quid hisce verbis velit.

Sancti sit effecturus in credentibus. Speciebus ergo revelationum hic denominatis, tantùm genus subintelligitur.

Quid visiones & somnia fuerint, & quid hîc significent?

Sicut autem visiones & somnia erant arcanæ revelationes, quibus Deus aperiebat suam voluntatem hominibus: ita in Novo Testamento non tantùm sensibili & visibili, sed & insensili & arcano modo Spiritus Sanctus in cordibus credentiũ operabitur conversionem, & accendet fidem, ut cognoscant ex hâc divinâ revelatione, quæ sit voluntas Dei, de salute generis humani, & agnoscant Deum Patrem, & quem misit Filium suum Jesum Christum. Et quomodò, quæso, dilucidiùs sese Deus revelare poterit, quàm per agnitionem sui filij, mittendo Spiritum Sanctum, qui nos omnia doceat, essentiam & voluntatem Dei?

V.

ἐπὶ τοὺς δούλους &c.

Quibus Messiæ beneficia communia æstimantur, & demonstrantur.

Deniq; conspicitur hîc Messiæ magnum & illustre beneficium æquale & commune despectissimis, & infimi subsellij hominibus. Effundet enim Spiritum suum super servos & ancillas, *genus hominum aliàs coram mundo, ut dixi, contemtissimum, pauperes, piscatores, & eos, qui nec familiâ, nec conditione personæ clarent & vigent, atq; tam abjecti, ut potentiores in illos sibi potestatem vitæ & necis præsumant, habeanturq; viva cum jumentis operarum viliorum organa.*

Inprimis munificentia Dei, qua despectos illustres reddit.

In hos ipsos tàm dejectos, tàm despectos Deus tàm beneficus erit, ut Spiritum Sanctum sit effusurus super illos, & hoc dono quasi illustres redditurus, inq; lucem protracturus, quò cum alijs fiant æqualis conditionis, & reddantur communionis bonorum spiritualium participes. Ita in hoc novo Christi regno quò ad animæ salutem consequendam nullus respectus & nulla erit prærogativa, cùm nemo ex sanguinibus, neq; ex potestate carnis, sed qui ex Deo natus est, Deo acceptus sit, Joh. 1. v. 13.

Quæ reser-

Et hoc tam illustre beneficium usq; in Novum Testamentum

tum ad tempora Meſſiæ reſervabatur, & inceptum eſt impleri in ſolenni & viſibili illo miſſionis Spiritus Sancti in Jeruſalem actu, deſcripto ſecundum omnes circumſtantias Act. 2. qui diu poſtea in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum permanſit, ubi Deus ſuper baptizatos, & converſos ſenſibili & viſibili modo Spiritum Sanctum effudit: Nunc autem inde ab exordio Eccleſiæ uſq; in finem mundi inviſibili & arcano modo in corda credentium effunditur, per Verbum & Sacramenta, quibus ſuam præſentiam Spiritus Sanctus alligavit, per quæ operatur veram fidem, & accendit in mentibus piorum tales motus, qualis eſt ipſe.

vata uſq; in Novum Teſtamentum in die Pentecoſtes impleta fuit. Effunditur autem Spiritus Sanctus duplici modo, viſibili & inviſibili.

Et ſic etiam ſemper ab exordio mundi effuſus eſt Spiritus Sanctus. Non enim putandum eſt, Spiritum Sanctum vel ſanctis in Veteri Teſtamento vel Apoſtolis etiam ante hanc viſibilem illius effuſionem, ignotum fuiſſe. Et ubicunq; tales loquendi formulæ vel in Actis, vel alibi occurrunt, afferuntur & dicuntur ad differentiam illius viſibilis effuſionis Spiritus Sancti, quæ in die τῆς πεντηκοστῆς demum implebatur.

Inviſibil. λύσις αἰτίας. Solutio tacitæ objectionis ex dictis Ioh. 7. v. 39. Act. 19. v. 2.

Sed hactenus de ἀναλύσει textûs dixiſſe ſufficiat, quam ſi ad uſum πραξεως theologicæ revocare vellemus, de præcipuis nonnullis doctrinæ capitibus, ut & alijs ad conſolationem & eruditionem facientibus materiam nobis præberet ampliſſimam. Sed inſtituti memor, ſumma ſaltem ſequar faſtigia rerum.

Hactenus de ἀναλύσει textus. Ex qua πορίσματα dimanant.

1. Διδακτικὰ de ſumma doctrinæ Prophet. & Apoſtolorũ autoritate. Quæ declaratur communi prohetarum exordio.

Ac primò conſpicitur hîc doctrinæ Prophetarum & Apoſtolorum ſumma authoritas. Quia Propheta hîc in perſona Dei ſuum edit vaticinium, & viciſſim Deus per os Prophetæ loquitur. Unde communi exordio veniunt: Sic dicit Dominus: *item,* Verbum Domini factum eſt ad Prophetam, *& ſimilia. Non enim naſcitur verbum illorum in humanis buc-*

cis, aut ἐκ τῆς ἰδίας διανοίας affertur, sed ipsius Dei verbum est, quòd in illis per os illorum Deus λόγῳ interveniente afflatu Spiritus Sancti loquatur. Hinc canit Zacharias in hymno suo *Luc. 1. v. 70.* Dominus Deus Israël locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum ejus. *Et David ipse, 2. Sam. 23. v. 2. de seipso dicit:* Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. *Et in Epistola ad Ebr. c. 1. v. 1. dicitur:* Multifariam, multisq; modis Deus locutus est patribus in Prophetis vel per Prophetas. *Et Petrus inquit, 2. Pet. 1. v. 20.* Omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit, non enim voluntate humanâ aliquando allata est prophetia, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι. *Cum itaq; scriptura Prophetarum & Apostolorum* θεόπνευστος *sit, illam non flectamus cum Aulæ Romanæ adulatoribus quò velimus, ut errores nostros palliemus; nec surdâ aure illam audiamus, sed potius attendentes sermoni prophetico & Apostolico, omnem consolationis vim inde percipiamus, & hîc tanquam ad vocem DEI subsistentes & rationem nostram captivantes, omnem deniq; scientiam, sapientiam & certitudinem hauriamus.*

2. & proprio illorum testimonio.

3. Inprimis Apostolorũ.

Θεοπνευστος ne flectamus pro arbitrio scripturam sacram cum Romanensibus. Sed attentè audiamus. Quia in illa omnis consolationis vis consistit.

2.

De summa utrorumq; harmonia.

Conspicitur & hîc utrorumq; summa harmonia, quia Petrus ex Joële, tanquam ex fundamento suam orditur concionem, in qua refutat istos lusores & irrisores, & omnia fieri hîc juxta prophetæ vaticinium affirmat.

1. Quia apud utrosq; nihil novi.

Sanè nihil alienum Apostoli à doctrina Prophetarum attulerunt, sed ubiq; provocant ad prophetias, ut suavem illam harmoniam confirment & muniant, & fidem nostram corroborent, *Eph. 2. v. 20.* Unde illa clausula: Hoc factum est, ut impleretur scriptura. *Et Jacobus in manifesto Concilio notat*

2. Vnde consueta clausula.

hanc

hanc harmoniam, Act. 15. v. 15. Huic *inquiens* concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt. *Et propterea ibidem dicitur v. 11.* Per gratiam Ieſu Chriſti credimus nos ſalvari, quemadmodum & illi. *Quo ipſo evincitur una eademq; ſalvandi ratio & via tàm in Veteri, quàm Novo Teſtamento. Utrumq; enim Chriſtum reſpicit, ut in Typo duorum Cherubim videmus Exod. 25. v. 20. Quo docemur, facies duorum teſtamentorum ad ſe mutuò converſas in unum Propitiatorium, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Rom. 3. v. 25. reſpicere & collimare. Unde rectè Chriſtus ab Eſaia c. 46.* יְשׁוּעַת עוֹלָמִים *id eſt,* ſalus ſeculorum *nominatur. Evertitur verò error eorum, qui ſtatuunt unumquemq; ſua in fide ſeu ſuperſtitione potius ſalvari.*

3. Vnde Apoſtolorum aſtipulatio.

Qua una ſalvandi ratio evincitur.

4. Vnde typus Exod. 25.

Quaq; error hîc refutatur.

Deciditur & hîc controverſia illa graviſſima de judice ſcripturæ, quonam videlicet recurrendũ ſit in controverſiis religionis, nimirum ad ſolam ſacram ſcripturam, tanquam ad Cynoſuram, exemplo Petri confugientis hoc loco ad noſtri Prophetæ teſtimonium. Litigantibus enim & malè ſentientibus auditoribus de miſſione Spiritus Sancti, Iudicem controverſiæ Joëlem ſummus Apoſtolus facit & conſtituit: Non neſciens illud Eſ. 8. v. 20. Ad legem & teſtimonia, ſi non dixerint juxta verbũ hoc, non erit illis lux matutina. *Unde ipſe non tàm ſibi, quàm aliis hanc regulam extruit, 1. Pet. 4. v. 11.* Qui loquitur, loquatur ὡς λόγια θεῦ.

3. De controverſia, de judice ſcripturæ.

Ab autoritate, 1. Petri.

2. Eſaiæ.

3. Regulæ extructæ.

1. Pet. 4. v. 11.

Adeò uſq; ſe demittit magnus hîc Apoſtolus, quàm largiſſimè etiam Spiritu Sancto nuper donatus, ut ſe, ſuamq; concionem & fidem de articulo miſſionis Spiritus Sancti ſcripturæ propheticæ judicatrici ſubjiciat.

Hic commendatur Petri humilitas, Spiritu Sancto illuminati licèt.

Ubi miranda & deteſtanda contrà eſt Romani Pontificis audacia & pervicacia, qui cum in omnibus ſe Petri ſucceſſorem hæreditarium glorietur, in hoc tamen ſequi Petrum omninò

Retunditur verò R. Pontificis inſolentia.

nolit, ut videlicet se, suamq; doctrinam scripturæ judicio submittere possit, sed authenticâ autoritate scrinium sui pectoris, in quo omnis veritas consopita sit, omninò cupit prælatum.

Hoc Petri facto tàm humili,

Sanè si in scrinio pectoris alicujus quærenda fuisset controversiarum decisio, tùm repletum Spiritu Sancto habuit hoc tempore Petrus scrinium, ut nunquam ullus Papa æqualem Spiritus Sancti mensuram expertus sit sine omni controversia, nec tamen ille, quid sibi videretur, sed quid Joël dixisset, auditoribus proponere voluit & debuit: aliàs enim non visiones Spiritus Sancti; sed cordis sui visiones potius protulisset, quæ extremè damnantur apud Jeremiam c. 23. v. 16. Hæc dicit Dominus, nolite audire verba Prophetarum qui visionem cordis sui loquuntur non de ore Domini.

quid de Papa sentiendum sit, colligimus.

Cum itaq; Papa hic & alibi à Petri exemplo recedat, dum ex scrinio sui pectoris tot nugas & visiones exponit & carissimè vendit, non successor Petri dicendus erit, sed recessor.

Alterum πόρισμα de præscientiæ divinæ certitudine.

II. Conspicitur & hîc manifestum præscientiæ divinæ argumentum, quæ tàm certa est, ut rectiùs γνῶσις, quàm πρόγνωσις in Deo dici possit. Hanc enim Deo revelante intuentes Prophetæ (qui ob id etiam Videntium & Speculatorum nomen habent, 1. Sam. 9. v. 9.) potuerunt infallibiliter prænunciare ea, quæ longâ annorum serie tandem evenerunt. Sicut Joël noster nongentis ferè annis antè vidit hanc miraculosam Spiritus Sancti missionem, & prædixit, nimirũ non ex humanâ præscientiâ, sed ex Dei evidentissima revelatione, cujus solius est ventura infallibiliter prædicere, qui hoc sibi soli reservat & tribuit, Esaiæ 41. v. 23. Quod & Jacobus Act. 15. v. 18. effert: Nota sunt, inquiens, Domino à seculo omnia opera sua. Quia sicut 2. Pet. 3. dicitur, Vnus dies est apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut dies unus. Quod in nostri consolationem

Cui omnia nota sunt, quia ipsi πάντα τὰ πάροντα. Nec enim in Deum cadit tempus, cui unus dies, &c.

lationem observemus. Postremus enim actus de extremo Christi judicio adhuc implendus superest, & quidem tàm certò, ut de illo dubitare non debeamus, (quidvis etiam Empactæ contrà nobis objiciant) in quo ἀπολύτρωσις nostra καὶ ἀποκατάστασις πάντων apparebit. Etsi enim hic actus futurus est magnus & terribilis, nobis tamen avidè ipsius magni Dei adventum expectantibus terribilis non erit: Non timebis, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Dominus magnus & terribilis, ipse consumet hostes tuos in conspectu tuo. *Hostibus ergo nostris erit terribilis, quorum finalis consumtio & interitus fiet, & quidem in conspectu nostro, Deut. 7. v. 21.*

Hæc certitudo facit in nostri consolationem. Certò enim & reliquus actus implebitur. Act. 3. v. 21. Qui nobis non terrori sed consolationi erit. Deut. 7. v. 21.

III. Inprimis verò doctrina hoc loco de Spiritu Sancto nobis proponitur. Ac primò *illius divinitatis luculentum hîc habemus testimonium. Quia Deus* Suum *dicit esse Spiritũ, ut & Psal 33. v. 6.* Spiritus oris ejus *dicitur, qui coëssentialis est Patri & Filio. Certum enim est, tàm Patrem, quàm Filium per os Prophetarum locutum esse. De Patre nemo dubitabit, de Filio apertè Petrus, 1. Pet. 1. v. 11. ait, quòd Spiritus Christi fuerit in Prophetis. Ergo Spiritus Sanctus, tàm Patris, quàm Filij Spiritus est, & tam Patris quàm Filij os Spiritum hunc spirant. Cùm igitur in Deo nihil evanidum, nihil accidentale esse queat, sed omnia sint essentialia in ipso. Ergo Spiritum Sanctum verum & coëssentialem Patri & Filio esse, necesse est, quod observandum nobis est contra Pneumatomachos, damnatos in Nicea Bithyniæ lib. 9. Hist. Tripart. c. 14.*

Tertium πόρισμα de Spiritu Sancto. Ac 1. de ipsius divinitate. Quia Dei Spiritus hoc loco dicitur.

Deinde *ipsius Personæ. Spiritus Sanctus discreta est persona à Patre & Filio. Alius enim est qui loquitur, & alius, qui loquentis esse pronunciatur, & alius, qui effusurus est: alius denique est effundendus, unde rectè hypostaticâ discretione Spiritum Sanctum à Patre, & Filio mittente & effundente differre pro-*

2. De ipsius personæ distincta à Patre & Filio per vocem Alius.

re pronunciamus. Et ipse Christus Spiritum Sanctum à se & Patre distinguit, cum eundem nominat ALIUM Paracletum, quem ipse missurus sit à Patre, Ioh. 14. v. 16. Et in Baptismo, uti Pater à Filio discreta persona numeratur, ita quoq; Spiritum Sanctum ab utroq; distingui, verba institutionis Baptismi convincunt.

Et per distinctionem in Baptismo Christi confirmatam.

Tertio, processionis & missionis illius. Distinguenda autem est missio Spiritus Sancti, à processione. Missio enim seu effusio Spiritus promittitur & quasi alligatur tempori, cum in futuro, de subsequenti olim miraculosa effusione Deus promissionem faciat: Processio autem characteristica est proprietas Spiritus Sancti, quâ ab æterno in æternum sine temporis concretione, vel respectu distinctus est Spiritus Sanctus, à Patre & Filio. Etsi igitur missio Spiritus Sancti à Patre & Filio præsupponit processionem à Patre & Filio personalem, tamen illa duo accuratè distinguenda sunt, utpote, quæ ab ipso Christo distincta sunt, Iohan. 15. v. 26. Cum autem Paracletus venerit, quem ego mittam à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Ponuntur in his Christi verbis duo distincta, observatu digna: ἐλθῇ καὶ ἐκπορεύεται, quorum illud egressionem missionis in tempore; hoc egressionem vel processionem à Patre & Filio ab æterno spirantibus denotat. De utroq; Theophylactus in Iohan. c. 15. ita dicit: Naturalis subsistentia Spiritus est processio. Singularis quædam & separata proprietas est procedere, uni proprio Spiritui attributa. Non igitur intelligemus per processionem, simplicem emissionem, sed naturalem ex Patre subsistentiam. Quo discrimine observato, facilis erit solutio ad illa dicta, Johan. 7. vers. 39. & Actorum 19. vers. 2. Nondum erat Spiritus Sanctus, quæ non negant æternitatem Spiritus Sancti, sed nondum factam & impletam

3. De processione & missione Spiritus Sancti. Vtraq; autem distinguenda est. Illa certi temporis & loci: Hæc proprietas Spiritus Sancti characteristica est. Tacita objecti solutio.

Petita à diversis ἐξελθεῖν καὶ ἐκπορεύεσθαι. De quibus Theophylactus audiendus est.

In hunc finem ad dicta Ioh. 7. & Act. 19. respondere possimus.

tam esse illam Spiritus Sancti effusionem visibilem subindicant.

Quartò *impletio hujus prophetiæ Joëlis testatur, in Actis Deum duplicem usurpare modum mittendi Spiritum Sanctum: Unum visibilem & miraculosum, qui incurrebat in sensus exteriores, quo Spiritus Sanctus, assumtâ quadam formâ visibili illapsus est in eos, ad quos veniebat: Qui modus, satis confirmatâ Evangelij veritate in Ecclesia, tandem cum miraculis, & dono linguarum desiit. Linguæ enim in signum sunt infidelibus, 1. ad Cor. 14. v. 22. Q. d. Apostolus: Infideles debebant tali spectaculo convinci, ex ore horum Apostolorum petendam esse doctrinam, per quam Spiritus Sanctus daretur, ut ita doctrinæ fides conciliaretur, quo fine in Ecclesia impetrato, cessabit hoc signum, uti jam amplius superfluum. Alterum invisibilem, durantem adhuc, duraturumq; in Ecclesia usq; ad finem mundi. De hoc modo Christus loquitur Ioh. 3. v. 3.* Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, & quò vadat. *Qui modus præsentiæ & operationis Spiritus Sancti* ἀναντίῤῥητος καὶ ἀνέκφραστος *est. Non enim potest mente capi, non sensibus exterioribus comprehendi. Hoc modo insensibili veniebat Spiritus Sanctus in animas ter mille, quas uno die ad agnitionem Christi, Baptismi susceptionem & pœnitentiam convertebat. Hic denique modus viget adhuc in credentibus in quibus idem Spiritus efficaciter operatur.*

4. De modo Dei duplici mittendi Spiritum Sanctum.

Visibili, qui jam cessat. 1. Cor. 14. v. 22.

Et invisibili, qui durabit ad finē usq; mundi.

Licèt sit ἀνέκφραστος.

Quintò, *Unus quidem est Spiritus, dona autem illius sunt varia, id quod ex harmonia Petri & Joëlis constat. Quod enim hîc Propheta dicit:* Effundam Spiritum meum: *id Petrus hoc modo effert:* Effundam de Spiritu meo, *non quòd hîc constituatur ulla dissonantia aut discrepantia, sed potius quòd Joël ad unitatem, Petrus verò ad varia Spiritus Sancti dona respiciat. Deus*

5. De discrimine personæ Spiritus Sancti & donorū illius. Conciliatio Petri cum Ioële. Ioël enim ad unitatē; Petrus ad dona S. Si. respicit.

Deus enim juxta μέτρον, secundum gratiam dividit Spiritus sancti charismata, Rom. 12. v. 6. Interim tamen unus est, idemq; Spiritus, ut Paulus 1. Cor. 12. v. 6. Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. *Simplex ergo est Spiritus per essentiam: septuplex seu multiplex per dona & charismata, quæ operatur in diversis subjectis, Apo. 4. Non autem nuda charismata & dona Spiritus Sancti, sine essentia Spiritus dantur & contribuuntur, sed ipsa persona etiam Spiritus Sancti datur, quò ad suam substantiam. Quomodò enim vocaretur Spiritus Patris, aut Filij; Spiritus meus, si hîc dona saltem Spiritus Sancti significaret.*

Non autem dona, sed & ipse Spiritus Sanctus credentibus datur.

Refutantur itaq; hoc loco eorum errores, qui non ipsum Spiritum Sanctum dari contenderunt, sed nuda ipsius dona. De quibus Lombard. refert lib. 1. dist. 14.

Et qui hoc fundamentũ negant, refutatione digni sunt.

6.

Sextò *inter dona Spiritus Sancti, & hoc summum, singulare & peculiare est, quòd solus facultatem interpretandi & intelligendi sacram scripturam contribuat. Non enim oritur illa ex humano ingenio. Prophetare seu scripturas interpretari Apostoli non poterant, antequam Spiritus Sancti, per promissionem Dei gratuitam redderentur participes. Hinc Christus Joh. 16. v. 13.* Ille cum venerit, docebit vos omnem veritatem. *Et 1. ad Cor. 2. v. 10. dicitur:* Nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur πάντα ἐρευνᾷ καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ. Et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. *Ab eodem igitur Spiritu, verum scripturæ sensum & nos petamus:* Sensum tuum, *ô Deus,* quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? *Sap. 9. v. 15. Jacob. 1 v. 5.*

De maximo dono Spiritus Sancti quo facultatem interpretãdi scripturam contribuit.

Iuxta dicta, Ioh. 16. 1. Cor. 2.

IV.

Docemur etiam hîc, Deum agens liberrimum esse.

πρῶτον deDeo agẽte liberrimẽ.

1. Respectu

In Veteri enim Testamento sparsim & rarò dabatur donum prophe-

prophetandi: in Novo verò cum inexhausta effusione, de qua etiam Jeremias vaticinatur, c. 31. v. 34. Neq; hîc in suis ministris alligatus est ad certum ætatis demensum. Nam Spiritum suum dat tàm Iuvenibus quàm senibus. Ita Deus in Veteri Testamento magna sæpe per adolescentes effecit: tùm per prophetias docendo, tùm per gubernationem regendo populum: ut David & Salomon in adolescentiâ uncti sunt Spiritu Sancto. Joas puer adhuc ad Regnum venit, 4. Reg. 11. v. 12. Jeremiam apud Deum pueritia non excusat, Jer. 1. v. 7. Daniel puer adhuc judicium pro Susanna, de Senibus iniquis sapienter tulit. In Novo Testamento Paulus adolescens adhuc, ut ex Actis c. 7. v. 58. constat, ad Apostolatum electus est. Et Timotheum genuinum suum filium Episcopum juvenem adhuc creavit, addens: Nemo contemnat adolescentiam tuam, *1. Timoth. 4. v. 11. Nam, ut est Sap. 5. v. 9.* Sapientia vera est canicies. *Quò igitur tendat extructus, contra scripturam, Canon Bonifacij Papæ distinct. 78. c. facilè colligi potest, qui sic se habet, Si quis triginta ætatis suæ annos non impleverit, nullo modo Presbyter ordinetur, etiamsi valdè dignus sit. Atq; ibidem C. Presbyter. Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quantumvis sit probabilis vita. Quasi verò annorum numerus plus valeat, quàm dignitas, vel probabilis vita, cum senes sæpè sint pueri centum annorum, ut Esaias loquitur, c. 65. v. 20.*

Quòd autem Spiritus Sanctus ad certam ætatem se non adstringat, & quòd non minùs sint illius χαρίσματα in adolescente honoranda, quàm in senibus, palàm testantur dictum Pauli & libri sapientiæ, nostri Joëlis prophetia, & inculpata multorum exempla, quibus prorsus hic Canon Papisticus evertitur & destruitur. Testatur sententia Ambrosii de

eorum qui in N. T. prophetarunt, 2. ætatis, juxta exempla.

Per quæ pontificius canon destruitur,

per se valdè infirmus.

Ratione horum dictorum & exemplorum.

Acholio, lib. 8. Epistola 60. ubi eleganter inquit: Benedictus processus juventutis ipsius, in qua ad summum electus est sacerdotium, maturo jam probatus virtutum stipendio. Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus & operibus effulgens. Hactenus Ambrosius.

Iuvenilis ætas dextrè informata peculiare & insigne Spiritus Sancti beneficium est.

Et hoc est illud ipsum Spiritus Sancti beneficium, quod per Prophetam hîc promittitur.

3. Respectu erudiendorũ Apostolorum ἐντῷ νῦν ἀδιαιρέτῳ.

Neq; alligatus deniq; est Deus ad communem & habitualem doctrinas discendi modum, sed ipsi adhuc alius peculiaris est, quo ille immediatus Doctor, non per crebras actiones & progymnasmata, sed modis planè novis & extraordinarijs sapientiam largitur. Ut in Salomone operatus est sapientiam, 3. Reg. 3. v. 12.

ut & in aliis exemplis.

Siquidé Deus varios modos habeat,

Qua in re non unâ procedit Deus semper formâ. Quibusdam enim viris sanctis per visiones, ut Petro Act. 10. v. 9. Quibusdam per somnia, ut Josepho & Magis, Matth. 1. v. 20. 2. v. 12. Quibusdam per Angelos, ut Mariæ, Luc. 1. v. 28. Quibusdam per colloquium, ut Paulo, Act. 9. v. 20. Quibusdam à facie in faciem, ut Moysi, Deut. 34. v. 10. Quibusdam per stellas, ut Magis, Matth. 2. v. 2. Quibusdam per ἐκστάσεις & raptus, ut Paulo, 2. Cor. 12. v. 1. Scientiam hanc θεόπνευστον propterea dictam manifestavit.

revocandos ad unicum scripturæ revelatæ modum,

Verùm singulæ hæ apparitionum formæ revocandæ sunt ad immotam Dei scripturam. Si qui enim non dixerint juxta verbum hoc, non erit illis lux matutina. Nam θεόπνευστον scientiæ genus singulare solius Ecclesiæ κειμήλιον est, neq; extra illam quærendum.

qui præcipuum Ecclesiæ Dei κειμήλιον est.

Singulares autem per dispensationem intelligendæ.

Quòd autem Abimelecho & Nabuchdonosaro futurorum scientiam in somno aperuerit Deus, id non ad prophetantium

tantium dignitatem, sed ad Ecclesiæ utilitatem per dispensationem (ut Nissenus ait libro de creatione hominum, c. 14.) est factum.

Frustra ergo Plato Ethnicus in Timeo de suo ingenio quasi diffidens, ἐλλαμψιν καὶ θεῖον λόγον requirit. Et magis fraudulentum & falsum est, quod idem in Jone de mendacibus Ethnicis poëtis ait: ἀχ ἕτοί εἰσιν οἱ ταῦτα λέγοντες, ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτός ἐστιν, ὁ λέγων, δι' ἐτέρων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς: Non sunt illi, qui hæc dicunt, sed Deus est ipse qui loquitur, per hos enim nobis hæc inclamat. *Nimirum, quod Plato de sanctis veræ Ecclesiæ Dei Prophetis dicere debebat, hoc ille de nugacibus gentilium poëtis turpiter nugatur.*

Refutandæ contrà nugæ Platonis de suis poëtis, qui non ἐλλάμψει καὶ θείῳ λόγῳ ut prophetæ, cecinerunt.

Nos verò, qui vera sumus Ecclesiæ Dei membra magnam inde consolationis vim percipiamus, quòd licèt Deus nos magno ingenij acumine & memoriæ validitate, per naturam, non donavit, nemo tamen à literis animum abdicare debet; & desperare, quandoquidem Deus plures habeat modos, quibus nos erudire possit, quàm qui sinant nos de Dei bonitate diffidere.

Contenti nos simus qualicunq; ingenii dono. Habet enim Deus varios & nos erudiendi modos.

V. Denique etsi sunt quædam certa somniorum genera, quæ θεόπεμπτα dicuntur, & divinitus immittuntur, ut exempla somniorum tam in Veteri quàm in Novo Testamento testantur, discimus tamen juxta Propheticæ phraseos explicationem Evangelicam, Deum in Novo Testamento per insomnia cessasse loqui, ut quod & illa sint pars non levis umbrarum, quæ teste autore Epistolæ ad Ebræos c. 10. v 1. abrogatæ sunt. Damnandi igitur sunt fanatici illi Spiritus, qui novos religionis sacræ articulos sibi ex insomniis dolosis & procul dubio à Diabolo, contra analogiam fidei immissis cudunt & extruunt.

V. πόρισμα de certis somnioruũ generibus, per exemplа. Quæ tamen in N. T. desierunt. Vnde refutantur illi fanatici Spiritus ad quos Deus de somnium non est locutus.

Varia deinde consolationis argumenta *hoc Joëlis vaticinium nobis præbet.*

Ex doctrinis θαμυθητικὰ argumẽta profluunt.

1. Sumitur à metaphora effusionis.

Et sumitur Primum *à nomine effusionis, sumtâ metaphorâ ab aqua, quæ ipsa suavissima Spiritus Sancti officia describuntur. Dicitur enim Spiritus Sanctus* aqua, *Ioh. 7. v. 38. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, 1. Quia purgat nostras sordes. 2. Quia omni vitæ succo & humore destituimur; Spiritus Sanctus autem limpidissima aqua è fontibus Israëlis hausta, ita nos irrigat, ut non sitiant, qui biberint in æternum, Ioh. 4. v. 14. Quò pertinet & promissio Esaiæ, qui Joëli nostro concinit, c. 44. v. 3. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam Spiritum meum super semen tuum.*

Ignis & venti, Act. 2.

Huc & illa metaphora quæ Act. 2. de vi ignis & venti sumitur, qua utrâq; pulcrè admodum Spiritus Sancti beneficia & officia, quæ in nos confert, adumbrantur. Ille enim igne suo nostra frigida corda inflammat erga Deum & proximum, & tentationum mole depressa, & viribus exhausta erigit & reficit suavi afflatu.

2. à φιλανθρωπία quæ declaratur missione Spiritus Sancti in corda nostra. Vnde adhortatio necessaria est, ut corda Spiritus Sancti domicilia pura servemus.

Alterum *à φιλανθρωπία Dei, quæ in Spiritu Sancto nobis occurrit, quòd ipse verus & substantialis Deus non dedignatur se demittere in animos hominum carnalium, qui ex carne nati, & peccatis obnoxij sunt, & non sunt nisi fœnum, ut Esaiæ 40. v. 6. dicitur: ibiq; vult mansionem facere, Ioh. 14. v. 23. Hospitium ergo hoc Spiritus Sancti servemus sanctum, ne ex illo, quod aliàs per se indignum est tanto hospite, denuò emigret.*

3. A vocatione gentium, ad quas effusio S. S. pertinet, quæ describit nobis regnũ Christi, Gal. 3.

Tertium *sumitur à vocatione gentium, ad quas etiam majestas effusionis Spiritus Sancti pertingit. Nam cùm in regno Christi* non sit Iudæus aut Græcus, sed omnes unum simus in Christo Iesu, omnes semen Abrahæ, & secundum promissionem hæredes, *Gal. 3. v. 28. quomodò omni carni, & per consequens nobis etiam, qui ex gentibus originem trahimus*

trahimus promißionis Arrhabo denegetur? Eandem enim inquit Petrus, gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, & cum cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, *Act. 11. v. 1.* Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit illis, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, *inquit iterum Petrus in concilio Hieroſolymitano, Act. 15. v. 8. Sicut ergo eadem eſt ratio cauſæ inſtrumentalis fidei in juſtificatione omnium hominum: ita & cauſa efficiens juſtificationis & regenerationis eadem eſt ſine gentium ullarum diſcretione.*

4. A communione Sanctorum & bonorũ Spiritualium.

Vltimum *denig; ſumitur, ut cætera hîc ſilentio involvamus, à communione Sanctorum, omniumq; bonorum ſpiritualium. Nam ubi ſervis, ancillis, filiis, filiabus, ſenibus, juvenibus ipſe Spiritus Sanctus ex æquo communis eſt, ijs certè non poteſt deeſſe communio bonorum, quæ ex Spiritus Sancti theſauro depromuntur, ut ſunt una fides, unum Baptiſma, unus Dominus, una ſpes vocationis noſtræ, unum corpus, unus Pater omnium, qui ſuper omnes, per omnes, & in omnibus eſt, unum verbum, una remiſſio peccatorum, & ſi quæ ſunt alia, de quibus Paulus, Eph. 4. v. 4.*

Quæ ad nos pertinent.

Hæc bonorum communio pertinet ad omnes ex æquo, ut non minori jure infimus homuncio Chriſtianus vendicet ſibi jus utendi Sacramentis, audiendi verbum, quàm ſummus mundi Monarcha: per unum enim Spiritum omnes in unum corpus baptiſati ſumus, & in unum Spiritum potati, 1. Cor. 12. v. 13. Unde & Paulus honorificè Oneſimum appellat ſuum filium, quem genuit: *item*, ſua viſcera, *& qui eſſet* ſervus *quidem conditione, ſed* fide frater *chariſſimus Domini ſui Philemonis, Epiſtola ad Philem. & 1. ad Tim. 6. v. 2.*

Et quoq; νουθετικὰ ne invicem nos despiciamus, sed potius humiles nobis hæc bona applicemus.

Cum igitur hæc bonorum communio ad nos ex æquo pertineat, nemo alter alterum ex alto quasi supercilio despiciat, sed potius humiliter de se sentiẽdo, Domino suo Iesu Christo gratias agat, qui hæc bona nobis suo merito paravit & propria fecit. Et hæc quidem vigent in regno Gratiæ, prorsus alia erunt in regno Christi gloriæ, ubi Christus transformabit corpus nostrum humile, ut fiat σύμμορφον corpori suo glorioso, *Phil. 3. v. 21. &* immittet nos in hæreditatem ἄφθαρτον, καὶ ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς, *1. Pet. 1. v. 4.*

Sed & nonnulla πρὸς τὴν παιδείαν ἐν δικαιοσύνῃ facientia hîc sunt observanda.

Inprimis ut modum Spiritus Sancti interpretandi scripturam retineamus.

In genere monemur, ut modum usitatum Spiritui Sancto interpretandi sacram scripturam, & nos sanctè retineamus, quem & praxis Apostolica citationis nobis ostendit, in qua Apostolus sua verba examinat & confert ad ἀναλογίαν propheticam, nimirum: dicta Veteris Testamenti explicanda esse per Novum; & res Novi Testamenti fundamentum sortiri ex Veteri, ut ita scriptura per scripturam explicetur.

Vt & verbũ audiamus per quod Spiritus Sanctus tanquã per organon in aures & corda nostra illabitur.

Quia etiam Deus promisit Spiritum Sanctum & effudit quoq; in Apostolos, non ut essent otiosi, sed in hunc finem, ut prophetarent & perfungerentur ministerio verbi cum magna majestate, & prædicarent Evangelium, moneamur quo medio in posterum Deus contribuere velit Spiritum suum Sanctum, nempe per officium Spiritus, solenniter semel in Apostolos effusi. Verbum igitur quod per Spiritum Sanctum prædicarunt Apostoli, organon est, cui se Spiritus Sanctus alligavit, & per quod illabitur in aures & corda credentium; ut Paulus asseverat, Galatas accepisse Spiritum Sanctum ex auditu fidei, c. 3. v. 2. tanquam organo mediato, quo Deus Spiritum Sanctum missurus sit,

Non ergo simus Enthusiastæ.

rus sit, contra Euthusiastas. Non ergo negligamus & abjiciamus hoc medium. Contrà qui hoc abjicit & pessundat, directè Spiritum Sanctum oppugnat, & nunquam ejus reddetur particeps; aut, si habuit Spiritum Sanctum, Epicureo contemtu vel negligentiâ verbi iterùm expellet.

Ita deniq; vivamus, ut & in nos Deus Spiritum suum effundat, qui etiam in nobis non erit ἀεργόν.

In specie verò admonendi simus, ut ita vivamus, quò & Deus in nos suum Spiritum Sanctum effundat. Qui si in nos effunditur, otiosus non erit. Exeret fructus & vires suas ipsius præsentia, ut bonam militiam militemus, retinendo fidem & bonam conscientiam. Et hi sunt Filij Dei, qui ducuntur & reguntur Spiritu DEI.

Et quò minùs succumbamus tentationibus, ἀλεξιφάρμακα hæc nobis sumēda sunt.

Et ne ullis tentationum generibus succumbamus, vincat in nobis omnes has tentationes carnis immensa Dei liberalitas, verbo effundendi declarata; vincat & superet signum universale Omnis. *Pharmacon plenissimum tentationibus quibusvis opponendum; vincat deniq; vocabulum* carnis, *infirmitatibus naturæ nostræ oppositum.*

Et denique ἐλεγκτικὰ

Varia deniq; refutationum argumenta hæc vaticinij πνευματὴ *suppeditaret, sed sepositis illis hac vice, de unico saltem dicemus.*

Donum interpretandi scripturam ad Papam non est alligatum.

Certum est donum interpretandi sacram scripturam non ad unum aliquem Aristarchum Ecclesiarum Novi Testamenti alligatum, sed omnibus Ecclesiæ membris, per Spiritus Sancti operationem commune esse. Prophetabant enim seu docebant & interpretabantur sacram scripturam juxta hanc prophetiam, tàm seniores, quàm juniores, tàm filij, quàm servi, adeò ut ne quidem muliebris sexus, sive quæ sint filiæ, sive ancillæ, ab hoc interpretādi munere exclusæ sint: Apud Deū *enim* non est liber aut servus, mas vel fœmina, *Gal. 3. v. 28. Et licèt propter* οἰκονομίαν *publicè munus docendi in Ecclesia mulieribus derogatum est,*

Quia hic contrarium per exemplæ demonstratur.

Nec huc facit οἰκονομία Paulina.

tamen

tamen non ob id per omnia & in universum interpretandi sacras scripturas judicium vel secum, vel ad alios privatim, ut ad familiam domesticam, vel in alijs quibusdam necessarijs casibus, derogari potest. Βραχεῖ λόγῳ *quemlibet Christianum & Christianam oportet scire satisfactionem & rationem de spe & fide propria, & satisfactionem insuper reddere posse debet suæ fidei,* 1. *Pet.* 3. *v.* 15. *Hinc Paulus totam appellans Ecclesiam,* ut prudentibus, *inquit,* loquor, vos ipsi judicate, 1. *Cor.* 10. *v.* 15. *Hæc est prudentia Christiana illa, quam Antichristus Romanus sacrilegè ad se solum rapit, & supra Concilia etiam, imò supra sacram scripturam suum judicium collocat, quasi ad illum solum pertineat donum dandi verum scripturæ intellectum, quod tamen Deus toti Ecclesiæ, & omnibus membris per Spiritum Sanctum commune fecit.*

Qua Pontifex sacrilegium suum defendere possit.

Βραχὺς λόγος ex Psalmo convenienti.

Oremus: Doce me Domine facere voluntatem tuam: quia Deus meus es: Spiritus tuus bonus deducat me in rectam viam, Psal. CXLIII.

METHO-

METHODUS INTEGRA ET PERSPICUA DE DOCTRINA SPIRITUS SANCTI.

COmmendatur nobis hæc doctrina de Spiritu Sancto multis modis, à dignitate, necessitate & utilitate denique desumtis. Spiritus enim Sanctus, qui in nos effunditur, verus Deus est, Patri & Filio ὁμότιμος καὶ συνδοξαζόμενος, qui à Patre & Filio procedit, quo maximè indigemus. Tàm enim infirmi & imbecilles sumus, ut sine Spiritus Sancti auxilio nihil præstemus & valeamus. Imò, si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus, Rom. 8. Adjuti verò tanto Numine, cum Josepho, Davide & Daniele ac alijs demum res gerimus salutares. Solus enim Spiritus Sanctus veræ pietatis exercitia in nobis generat & alit, nosque in totâ vitâ gubernat, ac tandem contra terrores mortis atque inferorum munitos, ad tranquillum æternæ felicitatis portum perducit.

Exordium à commendatione hujus doctrinæ.

Quæ inprimis instituitur propter infirmitatem nostram, 1. Cor. 12. v. 3. cui opitulatur Spiritus Sanctus.

Contrà deserti à Spiritu Sancto in horrendos furores & tragicas incidunt calamitates, ut Saulis, Achitophelis, Judæ & aliorum exempla ostendunt. Ideò regius vates orat, Psal. 143. Spiritus tuus bonus, Domine, deducat me in viam rectam.

Et propter exempla eorum, qui destituuntur Spiritu Sancto.

In hoc autem Deus affectionem & amorem suum erga nos miseros peccatores declarat, quòd & in nos Spiritum suum Sanctum effundat, cujus essentia verè divina est, nosque sibi copulet societate missi in pectora nostra sui Spiritus. Rectè proinde Augustinus inquit serm. 43. de verbis Apost. Magna est misericordia Dei, qui donum dat sibi æquale: quia donum ejus Spiritus Sanctus est.

Effusione enim Spiritus Sancti Deus suum erga nos amorem declarat. Vt & Augustinus eundem inde probat.

De hoc dono Dei, hac vice agemus; & totam hanc doctri-

Partitio quadrimembris.

nam rectà in quatuor distribuemus capita. Quorum primum continebit distinctionem nominis in sua significata. Alterum definitionem rei, Quid sit Spiritus sanctus? Tertium κατασκευὴν *seu confirmationem partium definitionis.* Quartum & *ultimum* ἀνασκευὴν *errorum teterrimorum de Spiritu sancto. Veni sancte Spiritus &c.*

εὐχὴ.

πολυτημίας observationis utilitas.

Quia πολυτημίας *ignoratio errorum mater est, qua & hæretici olim in errorum Labyrinthum deducti sunt, illa nobis negligenda non erit, sed accuratè perpendenda, ut dicta, quæ militare videntur pro* πνευματομαχίας *faciliùs intelligamus, & expeditiùs progrediamur.*

Ἐτυμολογία.

Vocabulum Spiritus à spirando, Ebræis רוּחַ *à* רוּחַ *spiravit, efflavit, Græcis* πνεῦμα ἀπὸ τοῦ πνέω, *duobus modis usurpatur sacris literis 1. pro accidente. 2. pro substantia.*

1. Pro accidente quadrifariam.

Pro accidente rursus quadrifariam. Ac primò pro motu creato in anima hominis, ut. Suscitavit Deus Spiritum Cyri, *Esdræ 1. sive malo sive bono, ut,* Spiritus fornicationis, *Oseæ 4.* Vertiginis, *Es. 29. Psal. 76.* Qui aufert Spiritum Principibus, *id est, impetum illum, Deo & verbo Dei contrarium. De bono & à Spiritu sancto excitato, ut Joh. 3.* Quod ex Spiritu natum est, Spiritus est, *id est, motus seu affectus accensus à Spiritu sancto.*

2. *Deinde usurpatur vox Spiritus pro dogmate fidei, seu cultu Dei vero, ut:* Nolite omni Spiritui credere, sed δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, *an consentiant cum* ἀναλογίᾳ *fidei, Rom. 12. 1. Joh. 4. v. 1. 2. Thes. 2. v. 2. 2. Tim. 4.*

3. *Tertiò pro præstigijs meris, sive pro spectro, ut Luc. 24.* ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν putabant se spiritum videre, *id est, spectrum.*

Quartò

Quartò pro consensu & concordia per Spiritum sanctum, qui Deo agglutinatus est, Deo per Spiritum sanctum copulatus, 1. Cor. 6. 4.

II. Pro substantia, seu de natura agitante, intellectum vocabulum designat naturam creatam vel increatam. Natura creata rursus vel est corporea, ut ventus, Spiritus ubi vult spirat, *Ioh. 3. v. 8. Psal. 11. v. 6. & 147. v. 18. Vel est incorporea, seu spiritualis, & quidem finita, quæ rursus est vel anima, vel Angelus.* 2. Pro substantia.

Anima rursus vel cujusq; rei viventis, ut, Perdam universam carnem, in qua est Spiritus, *id est, anima, Gen. 6.* Mortua est omnis caro, quæ habuit Spiritum vitæ, *Gen. 7. Vel est anima hominis rationalis, ut*, In manus tuas commendo spiritum meum, *Act. 7.* Domine Iesu, suscipe spiritum meum. *1. Cor. 6.* Glorificate Deum in corpore & Spiritu vestro. *Et*, Sicut corpus sine spiritu, ita fides absq; factis mortua est, *Jacob. 2.* Nemo novit, quid sit in homine, nisi spiritus ejus, *id est, potentia intelligens animæ rationalis, 1. Cor. 2. Quò pertinet usus synecdochicus, anima pro toto homine, Gen. 17. Eph. 4.*

Angelus verò nomine Spiritus designatus, est vel bonus vel malus. De cujusq; substantiâ dicitur Psal. 104. Qui facis Angelos tuos Spiritus, *Ebr. 1.* λειτουργικὰ πνεύματα. *Malus &* immundus spiritus, *Luc. 11.*

Sumitur & vox Spiritus pro donis Spiritus sancti, ut 1. Thess. 5. v. 14. Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester servetur, *item pro vi agitante ac movente, Ezech. 1. v. 20. & 37. v. 7.*

Posset & hîc moveri quæstio an Spiritus & anima pro re eadem sumantur? R. Quòd non, distinguuntur enim Luc. 1. Quæstionis theologicæ decisio.

à Maria virgine, à Paulo, 1. Thes. 5. ab authore Epistolæ ad Ebr. 1. Spiritus enim ipsam animam rationalem & immortalem: anima verò formam hominis constituit, juxta quorundam sententiam. Sæpè autem, ut diximus, Spiritus pro spirituali motu in intimo homine, in quo vera Dei agnitio residet, accipitur: anima verò pro spirituali illa substantia in homine vivificante corpus & perficiente ea, quæ sunt rationis. Et sic multi constant quidem animâ rationali & corpore humano, sed Spiritu carent.

Porrò appellatio Spiritus significans naturam spiritualem seu incorpoream, increatam seu potius creatricem, & infinitam designat vel personam, vel essentiam communem tribus in Trinitate personis, ut Deus est Spiritus, *Iohan. 4. v. 24. id est, essentia Spiritualis.*

De persona dupliciter. Absolutè & cum Epitheto.

De persona deitatis rursus usurpatur bifariam, vel absolutè, vel cum attributo. Absolutè seu simpliciter ut, ductus est Iesus à Spiritu in desertum, *Matth. 4.* Quod natum est ex Spiritu, *Ioh. 3. item,* fructus Spiritus sunt pax, *Gal. 5. 6. Rom. 8.* Spiritus cogebat Paulum, *Act. 18. Cum epitheto autem usurpatur vocabulum Spiritus, quod sumitur vel ab essentia, vel ab officio, vel ab effectibus. Qualia multa suppeditat cotidiana Bibliorum lectio, collecta in libellis methodicis.*

συνώνυμα Spiritus Sancti quinq;

Inprimis quinq; præcipua Spiritus Sancti synonyma sunt, quod dicatur 1. Παράκλητος *Iohan. 16.* 2. Vngens, *Psal. 45.* (מְשִׁיחַךָ אֱלֹהִים) *2. Cor. 1. v. 21.* Qui unxit nos, Deus est. 3. Ἀρραβὼν, *ab* עֵרָב *tradidit in pignus, dedit arrham) pignus hæreditatis nostræ, 2. Cor. 1. v. 22. & 5. v. 5.* 4. Aqua Viva *Ioh. 4. Es. 44. v. 2.* 5. Digitus Dei, *Exod. 8. Mat. 12. & Luc. 11.*

Deniq; usurpatur vocabulum Spiritus pro visibili effusione Spiritus Sancti, conjunctâ cum admirandis donis Spiritus

Sancti

Sancti, linguarum, sanationis, quæ visibilis missio Spiritus Sancti fuit privilegium Christi glorificati, seu gloriosè regnantis ad dexteram DEI.

In πολυσημία vocabuli duæ regulæ, ad informandum judicium, observandæ sunt.

In hac verò significationis varietate faciunt ad judicium informandum hæ duæ regulæ, quarum prior traditur ab Origene περὶ ἀρχῶν lib. 1. cap. 3. his verbis: Quidam ex prædecessoribus nostris in Novo Testamento observant, quòd sicubi Spiritus nominatur, sine adjectione, quæ assignet, qualis sit Spiritus, de Spiritu Sancto debere intelligi. Et hanc Hieronymus in c. 2. Mich. exemplis probat, quæ extant Matth. 4. v. 1. Rom. 8. v. 13. Gal. 5. v. 22. & 6. v. 8. Altera est Didymi Alexandrini de Spiritu Sancto. Apostoli quando intelligi volunt personam Spiritus Sancti, vel addunt epitheton ἅγιον, vel articulum τὸ. Quando verò sine articulo nomen ponitur, non ipsa persona, sed dona significantur, ut Luc. 1. v. 17. καὶ πνεύματι καὶ δυνάμει ἠλίου.

Cur Spiritus Sanctus non ita propriam habeat appellationem? Respondit Augustinus & S. Patres.

Est & Augustini observatio hîc annotanda de Trinitate, tertiam personam divinitatis non ita habere propriam appellationem, ut Filius non dicatur Pater, & rursus Pater etiam non dicatur Filius. Nomen verò Spiritus Sancti non est ita proprium. Est enim Pater Spiritus, Ioh. 4. Item Pater sanctus est, & Filius sanctus est, sicut Cherubin clamant, Esa. 6. Cujus rei hanc adducunt sancti Patres rationem, quòd Spiritus Sanctus sit aliquid commune Patris & Filij, substantialis nimirum amor & lætitia coæterna inter utrumq;. Ideóq; appellatione tali insignitur, quæ communis est primæ ac secundæ personæ Deitatis.

Translatio nominis unde?

Cæterùm transfertur nomen Spiritus ad significandas res, à materia secretas, quòd sicut tenues exhalationes, vel à terra, vel ab aquis, vel à sanguine, vel ab humoribus animantium evapo-

evaporantes, licèt sensus fugiant, sunt tamen efficaces & potentissimæ, ut etiam terræ motum sæpe excitent & efficiant: ita Spiritus sancti immensam vim & potentiam esse, opera illius testantur.

Ita, ut rectè ad potentiam S. S. accomodetur.

Ratio appellationis unde sumatur?

Ac ratio appellationis vel ex arcana collatione personarum divinitatis sumi potest, vel ex operibus, quæ efficit Spiritus sanctus. Est enim amor substantialis & lætitia coæterna inter Patrem & Filium. Deinde est agitator & quasi flamma, qua Deitas, immensâ bonitate Ecclesiam, & viva ejus membra cum Deo ipso & inter se copulat, ac lætitiâ complet.

Usus διδακτικὸς ex primo capite.

Atq; hactenus de primo capite, in quo πολυσημία vocabuli Spiritus; Spiritus sancti epitheta & συνώνυμα, sed ἁπὲ βραχέων explicata sunt, quæ nobis hunc usum præbent, ut dicta, quæ passim de Spiritu sancto occurrunt, rectiùs intelligamus.

Inprimis nomina & appellationes Spiritus sancti de officio, beneficiis & donis sive effectionibus in Ecclesia & in credentibus nos admonent.

Spiritus gratiæ & precũ.

Exempli gratiâ: quando Spiritus Zach. 12. v. 10 חן gratiæ & תחנונים precum dicitur, docemur, nos esse in gratiâ Dei, propter Filium, & exaudiri nostras preces, quas in nobis Spiritus ille incitat & inflammat, ut Deo gratæ sint & acceptæ.

υἱοθεσίας.

Quando Spiritus υἱοθεσίας seu adoptionis filiorum nominatur, confirmatur fides nostra; consolatio in nostris pavoribus augetur. Dat enim idem Spiritus testimonium Spiritui nostro, quòd simus filii Dei, id est, immiscet se nostro Spiritui vitali & animali, corda nostra flectit ad consolationem, invocationem & patientiam, & spem vitæ alterius certam, eò quòd verè sciamus, nos in Dilecto dilectos esse, hæredes Dei, & cohæredes Christi, Rom. 8. v. 17.

Quando

Spiritus roboris, dilectionis, 2. Tim. 1.

Quando 2. Tim. 1. Spiritus roboris, dilectionis & castificationis *vocatur, item* mansuetudinis; *1. Cor. 4. v. 21.* scientiæ, pietatis, timoris Domini, *Esa. 11. confirmantur corda nostra contra dubitationes & metum in periculis, est enim & fortitudo nostra, accendit in nobis dilectionem erga Deum & proximum, ut in Jonatha: extinguit, incendit libidinum, & ad modestiam, temperantiam & castitatem animos, & mores nostros flectit, ut in Josepho. Ille nos informat & erudit; in vita denig & morte mansuetos nos reddit.*

Spiritus rectus & certus.

Quando Psal. 51. Spiritus rectus & certus *dicitur, confirmamur de doctrinæ cœlestis certitudine & veritate, de gratia Dei, de remissione peccatorum, de salute denig aterna, quia firmiter nos assentire facit verbo & promissioni.*

Spontaneus.

Quando sanctus; *ab illo sanctificamur, & sancti in nobis motus excitantur: Quando* spontaneus; *spontanei ab ipso reddimur, ut in cruce & luce utrobig patienti, constanti, forti & parato animo Deo obediamus, & implorantes ipsius opem, cætera soli ipsi committamus: Quando* נְדִיבָה principalis *principalis animus & imperterritus & erectus in nobis excitatur. Muniti enim præsidio & consolatione Filij Dei, nullius potentiam, vim, fraudes & dolos veremur. Confidite, inquit, ego vici mundum, Joh. 16. v. 33.*

Principalis, heroicus, munificus, spontaneus.

μεγάλωτος.

Quando denig ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΣ *Joh. 14. 15. 16. dicitur, vivâ consolatione erigimur, quia solus hic Spiritus, advocatus & patronus Ecclesiæ & omnium piorum est, solus ille nobis miseris adest, causam nostram in se, ut suam recipit, quando delati & accusati à nostris hostibus, inprimis spiritualibus, undiquaq deserimur, & causam quam agit, obtinet, dum fidem & spem nostram in sola Christi vulnera dirigit:*

In solo Christi merito, moriturus ovabis.

Si Deus

Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui nec proprio filio pepercit, &c. *Rom. 8. v. 31. 32.* sed pro nobis omnibus tradidit eum, &c.

De II. Capite.

ἄρρητος ἡ θεότης.

In hoc secundo capite non agitur an sit Spiritus Sanctus, quod tamen perspicuis scripturæ testimonijs probatur, Gen. 1. Psal. 33. Job. 33. patefactione divinâ Mat. 3. & effectis Spiritus Sancti; nec an fuerit Spiritus Sanctus ante Filij Dei incarnationem, sicut idipsum demonstratur expressis scripturæ dictis, Gen. 1. v. 2. Esa. 63. 59. 2. Pet. 1. v. 21. 2. Sam. 23. Zach. 7. Luc. 1. & ipsis Messiæ promissionibus, Es. 44. Ezech. 36. Joël. 2. Zach. 12. (quas in Novo Testamento postea reassumit, Joh. 7. declarat 15. & 16.) nec denig; qua ratione Spiritui Sancto tertius locus tribuatur, quod non sit ratione temporis, (in Deitate enim nihil est prius aut posterius) sed ordinis. Et respectu hujus à Basilio Pater, quia à nullo est πηγὴ καὶ αἴτιον τῶν ἀγαθῶν, καὶ προκαταρκτικὴ αἰτία: & quia Filius à solo Patre, ideò δημιουργικὴ αἰτία: Spiritus autem, quia à Patre & Filio est τελειωτικὴ αἰτία verè & rectè appellatur. Sed hoc agitur, quid sit Spiritus Sanctus. Idq; constat ex de-

Δέησις.

Descriptio Spiritus Sancti.

scriptione seu definitione illius passim in in libellis methodicis notâ: Spiritus Sanctus est tertia persona divinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor, & lætitia coæterna, inter Patrem & Filium; & nobis sic manifestata est; quòd mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiam in Deo acquiescentes, qualis ipse est, in eis accendat. *Sicut Paulus 2. Tim. 1. v. 7. testatur.*

Quamvis infinita essentia propriè definiri & describi non possit.

Etsi verò Dei essentia, utpote infinita, propriè describi aut definiri non potest, quod & Justinus Martyr fatetur: θεὸν μὲν νοῆσαι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον: *tamen qua in verbo nobis de illa*

de illa patefacta sunt, non sunt negligenda, sed ad confirmationem fidei nostræ gratâ mente acceptanda. Unde piè monet Ambrosius lib. 1. de vocat. gentium, c. 7. Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis illicitè curiosi, in illis damnabiliter inveniamur ingrati.

Ita & hîc Spiritus Sanctus ipse nobis patefecit, quòd sit tertia persona divinitatis, non genita, nec facta, sed procedens à Patre & Filio, utriq; coëssentialis & coæterna, ὁμοούσιον συναΐδιον καὶ ὁμότιμον, creatrix & conservatrix omnium creaturarum, missa à Patre & Filio, ut regeneret & sanctificet homines, & regat eos per ministerium verbi & Sacramentorum; & accendat in mentibus & cordibus eorum lucem, justitiam, vitam, lætitiam, pacem conscientiæ; & similes motus Deo congruentes. De solo a Deo discendũ est, quid de Deo sentiendum sit.

Sunt autem hujus descriptionis duæ principales partes. Quarum prima continet descriptionem, qualis persona sit Spiritus Sanctus respectu Patris & Filij. Altera continet descriptionem, qualis sit persona Spiritus Sanctus respectu nostri. Descriptionis duæ partes sunt.

Membra partis prioris rursus quatuor sunt, 1. Spiritum Sanctum verum Deum esse cum Patre & Filio. 2. Distinctam personam à Patre & Filio. 3. Lætitiam & amorem substantialem esse inter Patrem & Filium. 4. Procedere à Patre & Filio, quæ proprietas Spiritus Sancti personalis est, sumta ab actionibus internis sacrosanctæ Trinitatis. Partitio primæ partis quadrimembris.

At posterioris partis membra constitui possunt octo, 1. Actio Spiritus Sancti externa cum Patre & Filio communis, actio scilicet Dei generalis & universalis. 2. Actio externa & specialis, & propria Spiritus sancti, quæ à Patre & Filio discernitur, ut mittatur in corda credentium, ut tales motus in- At posterioris octomembris est.

illis accendat qualis ipse est &c. 3. Est causa missionis Spiritus sancti, quæ est Christus. 4. Media missionis verbum & Sacramenta. 5. Domicilia & templa Spiritus sancti. 6. Signa præsensentiæ S. S. 7. Modus retentionis. 8. Causa excussionis Spiritus sancti. De singulis in tertio capite agemus, sed breviter.

DE III. CAPITE περὶ τῆς κατασκευῆς partium harum descriptionis.

κατασκευὴ partium primi membri.

Spiritum sanctum esse verum Deũ.

DE membris primæ partis. Spiritum sanctum esse verum Deum, non halitum evanescentem, nec agitationem creatam, aut motum excitatum in animis hominum, sine propria personalitate, sed esse ὑφιστάμενον, id est, quiddam in Deitate revera subsistens, seu spiraculum hypostaticum, seu personam à donis & virtutibus spiritualibus, quæ ab ipso accenduntur distinctam, Patri & Filio, per omnia æqualem, nec minorem aut ministrum, quadruplici argumentorum genere evidenter confirmatur.

Quadruplici argumentorum genere demonstratur. I. ab appellationibus soli Deo propriis quæ & Spiritui sancto tribuuntur. 1. 2.

I. Sumitur ab appellationibus soli Deo proprijs. Nomen Jehovahæ tribuitur autori eductionis populi ex Aegypto, ut soli & vero Deo, Exod. 13. & 20. Deut. 32.

Sed hujus eductionis cum Patre & Filio auctor perhibetur Spiritus sanctus, Es. 63.

Ergò Spiritus sanctus verè & naturâ est Deus.

Cæterum Spiritus Sanctus per Davidem locutus est, teste ipso Christo, Mat. 22. & Petro Act. 1. Sed Spiritus sanctus est ipse Dominus, id est, verus Deus, qui per Davidem locutus est, 2. Sam. 23. Ergo.

Utrumq; rursus scriptura testatur. Primum Jehovaham seu Dominum per os Prophetarum & Apostolorum locutũ esse, sicut proœmia librorum propheticorum & Apostolicorum ostendunt. Posterius Spiritum sanctum per eosdem esse locutum

Christus

Christus testatur, Mat. 10. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *2. Pet. 1.* Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. *E. Spiritus sanctus est verus Deus.*

Certum est renatos esse templa & domicilia Domini, id est, Dei veri & viventis, teste Mose Lev. 26. Ego habitabo in eis. 3.

At testatur Apostolus eosdem credentes esse templa & hospitia Spiritus sancti, 1. Cor. 3. & 6. 2. Cor. 6. E.

Ananias mentitus est Domino, Act. 5. Ananias mentitus est Spiritui sancto. E. Spiritus sanctus est Deus. 4.

Unus est Dominus, 1. Cor. 8. v. 6. Spiritus sanctus est Dominus, 1. Cor. 3. v. 5. 1. Cor. 12. v. 5. E. Spiritus sanctus cum Patre & Filio unus est Dominus. Seu Patri & Filio consubstantialis, 2. Cor. 3. ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *v. 17.* 5.

II. ab idiomatis divinæ naturæ, quæ & Spiritui sancto tribuuntur. Qualia multa recensentur.

Alterum *sumitur ab idiomatis divinæ naturæ convenientibus, quæ & Spiritui sancto tribuuntur: cui competit immensitas,* πανταχοσία, *cui omnium in omnibus operatio, cui* καρδιογνωσία, *cui verus & religiosus adorationis cultus;* δοξολογία, *cui veritas, cui processus à Patre & Filio; cui denique* αὐτεξούσιον *seu summa libertas distribuendi bona cœlestia pro liberrima voluntate, is verus est Deus.*

Minoris probatio.

Sed Spiritui sancto hæc idiomata verè competunt, ut immensitas Psal. 139. Quò ibo à Spiritu tuo. *Et Sap. 1.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Operatur omnia in omnibus, *1. Cor. 12.* Omnia scrutatur, etiam profundidates Dei, *in græco extat* ἐρευνᾷ *emphaticum,* ἐρευνᾷ γὰρ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, *1. Cor. 2. Eumque invocamus & celebramus:* Ille est veritas, *1. Ioh. 5. v. 6. Ille à Patre & Filio procedit: ille denique* pro ut vult, dona sua distribuit, *1. Cor. 12. E. Spir. S. est verus Deus.*

Sumi & demonstratio potest à formulâ Baptismi.

Sumi & potest argumentum à formula Baptismi nostri. Non minùs enim nos εἰς τὸ ὄνομα *Spiritus sancti, quàm* DEI

Patris & Filij, id est, in agnitionem, fidem & invocationem baptisamur. Huc Symbolum Apostolicum, Credo in Spiritum sanctum, credimus autem in unum & verum Deum. E.

III. Ab operibus, soli Deo propriis, quæ & Spiritui Sancto ascribuntur Qualia plurima numerantur.

Tertium *sumitur ab operibus soli Deo propriis quæ & Spiritui sancto ascribuntur, ut sunt creatio rerum omnium ex nihilo, &c. Hinc argumentamur:*

Cui competit creatio rerum omnium ex nihilo, cui vivificatio, regeneratio, reformatio & restitutio amissæ imaginis; cui gubernatio Ecclesiæ; cui scripturæ authoritas & futurorum annunciatio; cui θεόπνευστις *; cui divina operatio, vis & efficacia, quâ miracula eduntur, quâ in filios Dei adoptamur; quâ Apostoli linguarum dono instruuntur; quâ ad Ministerium Episcopi præficiuntur; quâ mittitur Christus ad Evangelium, quâ peccatum remittitur; cui denig, sanctificationis & illuminationis opus competit, is verè & naturâ Deus est. Sed Spiritui sancto hæc omnia competunt, contribuuntur & ascribuntur. Ergo.*

Minoris probatio.

Minor probatur. Quia Spiritui sancto creatio rerum omnium ex nihilo ascribitur, Gen. 1. v. 2. ubi emphasis verbi מְרַחֶפֶת *notanda est.* Incubando *enim res omnes vivificavit, & instar gallinæ illis spiritum vitalem concessit. Huc & reliqua Psal. 33. 104. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ, Jobi 26. 33. Unde Ecclesiæ invocatio: Veni creator Spiritus. Vivificatio: Spiritus est, qui vivificat, Joh. 6.* τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν *v. 63. & 2. Cor. 3. Regeneratio Joh. 3. Nisi quis &c. Reformatio & restitutio amissæ imaginis, 2. Cor. 3. Transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Est Dux & gubernator Ecclesiæ, Es. 63. Joh. 16. Author scripturæ & futurorum annunciatio, 2. Pet. 1. Spiritu sancto acti locuti sunt sancti* DEI *homines*

mines ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι &c. v. 21. Est αὐτιλήπτωρ καὶ παράκλητος Rom. 8. v. 25. & Joh. 15. De quo Chrysost. hom. 1. in 1. caput Act. Si Spiritus esset minor aut inferior Filio, non erat sufficiens consolatio, sed quomodo dictum est illud? Expedit vobis. Ideò Spiritui servata est major doctrinæ portio, ne quis putaret illum minorem. Efficit nos divinæ naturæ consortes, 2. Pet. 1. Vi & efficaciâ ejus miracula eduntur, Act. 10. Mat. 12. Luc. 11. Per Spiritum sanctum in filios Dei adoptamur. Unde & Spiritus υἱοθεσίας vocatur, Rom. 8. Gal. 4. Idem Ecclesiæ Domini Episcopos præficit, Act. 2. 13. 20. Christum ad prædicandum Evangelium ungit, Es. 61. Luc. 4. Remittit peccata, Joh. 20. sanctificat & illuminat, Rom. 1. 2. Thes. 2. 2. Pet. 1. Act. 2.

IV. Ab evidentibus rationibus quas Sancti Patres colligũt. Basilii.

Quartum & ultimum sumitur à certis & evidentibus rationibus, quibus Spiritum sanctum verum Deum esse evincitur.

Hinc Basilius, 1. Joh. 4. contra Eunomium in hunc modum argumentatur:

Spiritus sanctus absq; Christo fidelibus non communicatur. E. cum Christo unius naturæ statuitur. Nam in hoc cognoscimus, quòd Christus in nobis maneat, & nos in ipso, quod accepimus de Spiritu ejus. Quod nequaquam verum esset, si Spiritus sanctus diversæ à Filio naturæ statueretur.

Hinc & Ambrosius super verba, Ioh. 1. Qui seipsum à censu creaturarum excludit, is verè Deus est, & omnium rerum creator, Sed Spiritus sanctus seipsum à censu creaturarum excludit. Ergo Spiritus sanctus verus Deus est. Ambrosii.

Minorem probat Ambrosius. Omnia per ipsum facta sunt. Et ait: Spiritus sanctus in Evangelista loquebatur, ideò si fuisset creatura, oportuisset eum dicere: Omnia per ipsum facta

sumus, ita, ut seipsum à censu creaturarum non excluderet. Probat & per illud Joannis: Ipse de meo accipiet. Hoc inquit non possumus intelligere de corpore neq; de anima, Quare de natura divina est intelligendum.

Item Spiritus sancti testimonium vocatur Dei testimonium. E. Spiritus sanctus est Deus, 1. Ioh. 5. Item, Solius Dei est loqui in Ministris, eis os aperire & linguam expedire.

Sed utrumq; præstat Spiritus sanctus, Exod. 5. Mat. 10. E.

Cyrilli. Cyrillus ex loco Ioh. 14. ita concludit. Ego & Pater veniemus, & mansionem apud ipsum faciemus.

Sed ex Spiritu cognoscimus, quòd Pater & Filius habitent in nobis.

E. ubi est Spiritus sanctus, ibi est Pater & Filius, & contrà; quod proprium est consubstantialitatis.

Rursus: Quæ inseparabilia sunt, consubstãtialitatẽ probant. Sed opera Filij & Spiritus sancti inseparabilia sunt. E.

Minor probatur Ioh. 5. 16. Non possum inquit Christus à meipso facere quicquam, Et non loquetur à semetipso &c. Hinc non modò vocatur Spiritus Patris, Gal. 4. sed & Christi, Rom. 8.

Nazianzeni. De secundo membro 1. partis definitionis Spiritus sancti, illum distinctã esse personam à Patre & Filio.

Nazianzenus denique hoc utitur argumento: Spiritus vocatur digitus Dei, Luc. 11. E. significatur ὁμοουσία, sicut cùm Filius dicitur Dextera Dei.

II. Membrum monet Spiritum sanctum à Patre & Filio distinctam personam esse, nec motum aliquem creatum. Quod ipsum multis evidentissimis rationibus demonstramus.

1. Probatur ab internis proprietatibus.

Ac Primùm internis proprietatibus, quibus personæ Deitatis realiter distinguuntur. Nam Pater gignit, Psal. 2. Filius gignitur: Spiritus sanctus procedit.

2. Ab externis beneficiis.

Deinde externis beneficiis erga creaturas, ac præsertim erga Ecclesiam. Nam patri tanquam fonti æternæ Trinitatis in Symbolo tribuitur creatio, quòd ipse primum decretum tulerit

lerit de creatione rerum omnium: Filio redemtio; & Spiritui sancto sanctificatio.

Præterquam etiam, quòd percepimus ex nostro Propheta Deum de suo Spiritu effusurum esse, Spiritum sanctum cum Patre & Filio omnes res creasse, probamus & demonstramus hoc, visibili apparitionis Spiritus sancti specie in Baptismo Christi, & effusione in die τ πεντηκοστης Mat. 3. Act. 2. Si enim Spiritus sanctus non esset distincta persona à Patre & Filio, vel si esset agitatio in animis creata, nõ appareret peculiari specie extra hominẽ. Quia impossibile est, accidens esse sine subjecto in quo hæret. 3. Ab authoritate Ioëlis. 4. A visibili Spiritus sancti apparitionis specie.

Probamus & hoc per particulam distinctivam Alius, quâ Spiritus sanctus à Patre & Filio expressè distinguitur, & peculiaris persona constituitur, Ioh. 14. Non autem Alius est, quò ad Deitatem & voluntatem, sed, ut dixi, quò ad personam seu proprietatem personalem, seu quò ad modum subsistendi, id est, processionem æternam. 5. A particulâ distinctivâ.

Huc & illud Christi Ioh. 14. v. 26. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. At docere & suggerere personæ, non motûs creati, sunt propria. E. Nota ἃ εἶπον ὑμῖν.

Probamus & hoc per institutionem Baptismi Christi, in qua apertè discernitur persona Spiritus S. à persona Patris & Filij. 6. Ab institutione Baptismi Christi.

Probamus & hoc ab authoritate Pauli qui 1. Cor. 12. Spiritum sanctum à donis & operationibus suis apertè distinguit & discernit in hunc modum inquiens: Hæc omnia efficit unus idemq; Spiritus, dividens seorsim unicuiq; ut vult. Et ad Rom. 8. Ipse Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, ubi & discernit movent em & consolantem Spiritum sanctum, à consolatione, quâ cor credentiũ erigitur & vivificatur. 7. A distinctione Paulina inter personam S. S. & dona illius. 8. A Grammatica observatione in lingua Græcâ.

Probamus denig, hoc à Grammatica quorundem locorum scripturæ consideratione, in quâ mutatio generis apertè ostendit de per-

de persona distincta sermonem instituí, non de respectu aut qualitate, seu motu creato, ut Ioh. 15. Christus inquit, τὸ πνεῦμα τ ἀληθείας, ὁ παρὰ τ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνο μαρτυρήσ ει περὶ ἐμοῦ, Ioh. 15. v. 26.

Ioh. 15.

Cui σύμφωνον est quod 1. Ioh. 5. habetur, τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, πνεῦμα, καὶ ὕδωρ, καὶ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Ubi ad intellectum relatâ constructione, masculinum genus usurpatur de rebus, quæ sunt neutrius apud Græcos: ut personarum Deitatis realis distinctio significetur.

1. Ioh. 5.

Eadem mutatio generis extat Ioh. 14. παράκλητον δώσει ὁ πατὴρ τὸ πνεῦμα ἅγιον &c. ἐκεῖνο ὑμᾶς διδάξει. Et Eph. 1. πνεύματι τ ἐπαγγελίας, &c. ὅς ἐστιν ἀρραβὼν τ κληρονομίας ἡμῶν, εἰς ἀπολύτρωσιν τ περιποιήσεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, Eph. 1. v. 14.

Ioh. 14.

De tertio membro 1. part. Spiritũ Sanctum esse substantialẽ amorem &c. inter Patrem & Filium.

III. Membrum docet: Spiritum sanctum esse substantialem amorem, & lætitiam coæternam inter Patrem & Filium.

Quæ in Spiritu sancto essentialia sunt.

Hæc & in Spiritu sancto essentialia sunt, quæ illius divinitatem demonstrant. Non autem assequimur in hac mortalitate, (in quâ καὶ ὡς ἐν τῷ αἰνίγματι βλέπομεν καὶ γινώσκομεν) hunc substantialem amorem & lætitiam coæternam Spiritus sancti inter Patrem & Filium. Utriusq; verò solida cognitio differenda est & reservanda in cœlestem illam Academiam, in qua penitus cognita nobis erit hæc coæterna Spiritus sancti lætitia, &c. 1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Lætitiæ & amoris S.S. προπτισμὸς in nobis.

Hoc autem magnum & inenarrabile est, quòd illius amoris & lætitiæ προπτισμὸν in nobis hic Spiritus sanctus excitat.

Objectionis dilutio & solutio.

Etsi enim ille increatus est, & substantialis amor, motus autem nostri sunt creati, & amor noster est accidentalis: tamen illi motus, quos in nobis idem accendit, congruunt cum voluntate Dei, & cum sanctitate Spiritus Dei, juxta illud, 2. Tim. 1. Non dedit

dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, *id est, motum excitatum à Spiritu sancto timidũ*, sed roboris, δυνάμεως, *virtutis & animositatis, Spiritum spontaneum & principalem, Spiritum* charitatis, *servientem multis, & nocentem nemini, & castificationis*, σωφρονισμοῦ, sanitatis animi, *qua modestia studemus, cùm erga nos ipsos, ne impuro impetu, conscientiam ladamus, tùm erga alios, ne ex proposito offendamus & irritemus bonos, vel verbis, vel gestibus, vel factis.* Quia Spiritus Sanctus agit in subjecta.

Invocatus à nobis in cordibus nostris excitat Lucem verbi divini, justitiam, vitam, lætitiam, amorem Dei & proximi, pacem conscientiæ, & similes motus Deo placentes.

IV. Quartum & ultimum membrum primæ partis descriptionis Spiritus sancti docet nos, Eundem procedere à Patre & Filio. Sed in hoc membro rursus nobis quatuor observanda veniunt, 1. modus processionis, 2. differentia verborum ἐκπορεύεσθαι, ἐξελθεῖν καὶ πεμπάλλεσθαι, *3. differentia processionis humanæ à divinâ. 4. ipsa processio Spiritus sancti, & quòd à Patre & Filio procedat.* De ultimo 1. partis membro: Spiritum sanctũ procedere à Patre & Filio. Subdivisio hujus membri.

Ac primò *modus æternæ processionis Spiritus sancti in hac vita planè* ἀνέκφρας *est, quia est essentiale* ἰδίωμα *Spiritus sancti. Quomodo ergo, qui in tempore vivimus, æterna illa intelligamus? Mens hîc nostra deficit, vox silet, non hominum tantùm, sed & Angelorum. Licet scire quòd procedat Spiritus sanctus, non verò licet, quomodo procedat. Etenim* σαφὴς ἔλεγχος ἀπιστίας, τὸ πῶς, πεῖ θεὸν λέγῃς. *Quia hîc omnia sunt* ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν τῆς κτιστῆς φύσεως. Πρόφερε *igitur, inquit idem Iustinus,* τοῖς ζητυμένοις ἑτοίμην λύσιν, τὴν πίστιν. Modus processionis ἀνέκφρασος est.

Deinde *differentia horum verborum* πεμπάλλειν, ἐκπορεύειν καὶ ἐξελθεῖν *nobis accuratè perpendenda est. Ac primùm* Verbum πεμπάλλειν de Patre & Filio mittêre Spiritum S.

primùm de Deo Patre & Filio usurpatur, μεταφορᾷ sumtâ à plantis, florem & fructum fundentibus. Id enim Græcis est βαλλειν, id est, projici, aut profundi; unde προβολὴ καὶ πρόβλημα, emissio seu productio. Hinc æternus Pater cum Filio est προβολεύς, mittens, seu productor Spiritus sancti, cui non competit talis missio, quæ vel fit per modum imperij, quo mittitur servus à Domino; vel per modum consilij, ut ignarus à sapientiore, quomodo mittuntur legati à superioribus; Spiritus sanctus enim est infinitæ & æternæ sapientiæ cum Patre & Filio; vel per modum αἰτίας, qualis est naturalis προβολὴ arborum & vitium, id est, emissio seu productio, quâ flores & fructus mittere vel emittere dicuntur plantæ.

Cui non competit talis missio,

Missio igitur Spiritus sancti temporalis, auctore Patre & Filio, præsupponit processionem æternam καὶ ὁμοούσιον Patri & Filio, qua mittit Spiritum sanctum non minùs Filius, quàm Pater, ὡς ἀρχὴ καὶ αἴτιον, ut causa & principium omnis temporis expers.

sed quæ præsupponat processionem æternam.

Verbum ἐκπορεύεσθαι. Vnde πόρος, & Filio, indicatur. Vnde est πόρος, quod non modò agitationem & motionem, sed etiam copiam significat, ut inde colligamus, quodnam sit Spiritus sancti officium in æternæ Trinitatis communione, nimirum, quòd sit essentialis amor inter Patrem & Filium: & quid efficiat in rebus creatis, ac præsertim in pijs, cùm vitæ & essentiæ conservatione, tùm pietatis ac præstantissimarum virtutum primæ & secundæ tabulæ productione.

Verbum ἐκπορεύεσθαι de Spiritu sancto propriè dicitur, quo interna illius proprietas, quod ab æterno procedat à Patre & Filio, indicatur. Vnde est πόρος, quod non modò agitationem & motionem, sed etiam copiam significat, ut inde colligamus, quodnam sit Spiritus sancti officium in æternæ Trinitatis communione, nimirum, quòd sit essentialis amor inter Patrem & Filium: & quid efficiat in rebus creatis, ac præsertim in pijs, cùm vitæ & essentiæ conservatione, tùm pietatis ac præstantissimarum virtutum primæ & secundæ tabulæ productione.

καὶ ἐκπόρευσις.

Ἐκπόρευσις verò egressum, profectionem & efficaciam denotat. Vnde etiam interdum Spiritus Patris, interdum Spiritus Filij nominatur, Ioh. 15. Rom. 8. Gal. 4.

Verbum ἐξελθεῖν.

At verbum ἐξελθεῖν de Filio Dei propriè usurpatur, quod significat voluntariè exire & mitti, sicut dicit: ἐγὼ ἐκ θεοῦ ἐξῆλθον:

ἐξῆλθον: ego à Deo exivi. Differt autem processio Spiritus sancti, à processione Filij, de qua Mich. 5. primùm causis: quia nasci est à potentia cognoscente: procedere est à voluntate. Deinde phrasi, de qua jam diximus. De Filio enim ἐξελθεῖν: de Spiritu sancto verò ἐκπορεύεσθαι verbum usurpatur. Filius porrò nominatur Filius uteri, Psal. 110. v. 3. Spiritus sanctus dicitur Spiritus oris, Psal. 33.

Tertiò processio Spiritus Sancti accuratis limitibus sejungenda est, à processione humanâ. Processio in humanis est alterius, ad alterum, ab altero secessio & sejunctio, quod ad locũ & personam attinet. At processio Spiritus sancti, quamvis personam individuam constituat: tamen in eadem essentia permanet, (ad differentiam processionis humanæ) quæ immanens processio ἄχρονος, ἀτόματος καὶ ἀχώριστος appellata fuit à gracis theologis. Processio Spiritus sancti à processione humana distinguenda est.

Quartò, est autem interna Spiritus Sancti processio, quæ personalis proprietas est Spiritus Sancti, perfecta totius essentiæ Patris & Filij cum Spiritu Sancto communicatio, ab omni æternitate facta, quæ ἐκπόρευσις dicitur, Ioh. 15. & toto genere differt à missione Spiritus sancti in corda credentium, quæ dici potest externa illius processio, de qua in altera parte dicemus. Quid sit processio Spiritus Sancti interna.

Etsi verò scriptura nunquam expressè dicit, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere: certum tamen est, illum ab utroq; procedere. Nam Christus processionem Spiritus sancti sibi cum Patre communem, nequaquã Patri refert acceptam, hoc fine, ut à processione Spiritus sancti se excludat, quâ ratione ipse suæ Deitati derogaret, sed respicit ad statũ exinanitionis, seu tempus passionis & mortis, quo se patre inferiorẽ agnoscit, & hoc fine, processionem Spiritus sancti patri acceptam refert, ut ordinẽ personarum monstret, interprete Augustino lib. de Trin. 15. c. 17. Objectionis solutio.

Fundamenta hujus internæ processionis Spiritus sancti.

Procedere autem Spiritum sanctum à Patre & Filio non modò expressa scripturæ dicta, verùm solidæ quoq; rationes demonstrant & testantur.

1. A dictis scripturæ expressis. Ioh. 15. 16.

Dicta scripturæ sunt, Ioh. 15. Christus ait: Cum venerit Paracletus, quem Ego mittam à Patre. *Et 16.* Ipse me illustrabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. (Omnia enim quæ Pater habet, mea sunt, *id est, essentia divina, à qua Spiritus sanctus suam accipit, cum Patre mihi communis est, ita ut utriq; consubstantialis sit, interprete Ambrosio lib. 2. de Spiritu sancto, c. 12.)*

Rom. 8. Gal. 4. Esa. 11. 2. Thess. 2.

Unde & Rom. 8. Gal. 4. Spiritus Christi & Filii Dei, *nec non* Spiritus labiorum & oris ejusdem, *Esa. 11. & 2. Thes. 2. vocatur. Ideóq; etiam in sufflando communicat ipsum Apostolis, Ioh. 20.*

2. A solidis rationibus.

Testantur id ipsum & solidæ rationes. Nam Gen. 1. vocatur Spiritus אלהים *quòd non unius tantùm in Trinitate personæ Spiritus sit, sed Patris & Filij Spiritus.*

1.

2. 3. *Præterquam, quòd absurdum foret, & gloriæ & λόγε apertissimè derogaret, affirmare, ipsum proprio carere Spiritu:*

4. *etiam omnis hypostatica cognatio, omnis q; respectus internus, Filij ad Spiritum; & hujus vicissim ad Filium, tolleretur, si non procederet quoq; à Filio.*

5. *Idem & demonstrat personalis origo. Nam Pater quidem prima est in divinitate persona, quia à nullo est: Filius secunda, quia à solo Patre: Spiritus verò sanctus tertia, quia ab utroq;.*

6. *Unitas etiam essentialis inter Patrem & Filium necessariò exigit, ut eundem Spiritum ex eadem spirent essentiâ: ne cùm essentiæ inæqualitate, prodigiosa multitudo Deorum, ab*

7. *Ethnicis celebrata, introducatur.*

8. *Quid? quòd* ὑπόστασιν *suam Christo fert acceptam, quando*

quando ab ipso accipit sapientiam & facultatem erudiendi Apostolos, ac futura prædicendi, ut Filij Dei vox testatur, Ioh. 16. ubi quoq; affirmat: Omnia quæ habet Pater, mea sunt. *Unde firmissimè colligitur: Quia Pater naturâ consubstantialem Spiritum habet, eundem illum Spiritum etiam Filium naturâ habere.*

Deniq; cum Coloss. 1. Filius imago Patris inconspicui, & 9.
Ebr. 1. ἀπαύγασμα καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ *appelletur: non posset tueri hunc titulum, si in ipso quoq; non luceret illa divina vis atq; facultas spirandi consubstantialem Spiritū.*

Ex his rationibus, quid de anathemate Græcorum recentiorum, quod ita se habet, cùm φιλοπεωτείας *studio à Latinis dissentire inciperent:* Qui confitetur Spiritum sanctum à Filio procedere, anathema sit, *sentiendum sit, hinc facilè appparet.* Ex quibus anathema Græcorum recentium retunditur;

Nec etiam Græci veteres tolerandi sunt, qui licèt non malo proposito, dixerunt: Spiritum sanctum esse à Patre per Filium. Rectiùs enim affirmatur; sicut jam demonstratum est, ipsum à Patre & Filio procedere: ne existimetur à Patre mediatè Filij scilicet interventu, procedere, atq; ita uni personæ propinquior, quàm alteri esse putetur: cum quidem, ut essentiâ unum sunt Pater & λόγος, ita in producendo Spiritu sancto, sub ἑνώσεως identitate, unum omninò sint in spirando συνδυαζόμενον. & veterum quoq; confessio, quæ non sine periculo retineretur.

Atq; hactenus de membris primæ partis definitionis dixisse sufficiat. Nunc rectà progredimur ad membra reliqua octo alterius definitionis partis, quæ agunt de eo, quid sit Spiritus sanctus respectu nostri. De altera definitionis parte, de S.S. quid sit, respectu nostri.

Quid sit Spiritus sanctus respectu nostri, ex illius officio & beneficijs patet, quæ in ministerium verbi & credentes conferi & Quod ex illius beneficijs constat.

1.Cor.12. v.3.

fert & collocat. Nam ut in ministerio verbi omnia rectè gerantur & administrentur, virtute & efficaciâ solius Spiritus sancti fit. Virtute Spiritus verbum rectè prædicatur & secatur, Sacramenta administrantur, absoluuntur pœnitentes à peccatis, ordinantur idonei ad ministerium, excommunicantur contumaces, rursusq; absolvuntur, cum pœnitentiam egerint.

Quæ conspiciuntur in ministerio, &

in credentibus.

Virtute & efficaciâ Spiritus sancti gubernantur, & in viam rectam deducuntur, & ad optatum denique æternæ felicitatis portum perducuntur credentes.

Sive id fiat in conversione, sive invocatione, sive in cruce; sive denique in morte. Rom. 8. v. 16. Zach. 12. v. 8. Rom. 8. v. 28. Psal. 119.

Demq; non tàm in conversione nostra ad Deum, quàm in cotidiana invocatione, cruce & media morte vis illa & virtus conspicitur. Dat enim testimonium spiritui nostro, quòd simus Filij Dei. Est Spiritus gratiæ & precum, & efficaci nos consolatione erigit, ne in cruce constituti desperemus, sed potius eluctemur. Quia omnia pijs in bonum tandem vergunt, sicut & Regius Propheta Davides ait: Bonum est mihi, Domine, quòd humiliasti me, ut discerem justificationes tuas. Hinc est & illa fortitudo martyrum in suppliciis. Hinc est & illa nostra gloriatio in afflictionibus, quæ ad modicum durant, Johan. 16. & non comparandæ sunt cum futura gloria. Roman. 8. vers. 18. λογίζομαι, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.

Commendatio hujus posterioris partis ab utilitate & necessitate.

Quantum igitur in horum membrorum declaratione & explicatione situm sit, satis inde colligimus atq; intelligimus. Nam in his ipsis hæc & similia Spiritus sancti officia & beneficia illustrantur & declarantur.

Dilucidioris explicationis verò gratiâ hanc ultimam descriptionis partem in octo membra distribuemus.

Primum

De primo membro posterioris partis, de Spiritus sancti actione generali & universali. Quæ est vel ordinaria, vel extraordinaria.

Primum *membrum continet actionem Spiritus sancti externam, cum Patre & Filio communem, actionem scilicet Dei generalem & universalem. Et est illa vel ordinaria, ut creatio, conservatio, sustentatio &c.* Spiritus ferebatur super aquas, *Gen. 1. v. 2. Psal. 33. 104. item,* Spiritus Dei fecit me, & spiraculum altissimi vivificavit me, *Iob. 20. & 33. vel extraordinaria, ut sunt conceptio Messiæ de substantiâ Mariæ virginis, facta efficaciâ Spiritus sancti, Luc. 1. Et cætera miracula, quæ Christus ipse non sibi tantum & Patri, sed & Spiritui sancto refert accepta. Digito Dei, Luc. 11. (unde Nazian. ut Dextera Dei est argumentum τῆ ὁμοουσίας Filij Dei, cum Patre: ita Digitus Dei testimonium illustre est τῆ ὁμοουσίας Spiritus sancti cum Patre & Filio.)*

De altero membro, quod continet actionem Spiritus sancti specialem. Quæ est designatio officii.

Alterum *continet Spiritus sancti actionem externam & specialem, propriam Spiritus sancti, quâ à Patre & Filio discernitur; & dicitur missio in corda credentium.*

Quæ missio seu legatio Spiritus sancti, est officij designatio, quo Spiritus sanctus fungitur in Ecclesia, & cordibus singulorum piorum, & significat, ut dixi, actionem externam seu operationem Spiritus sancti, quam exercet in Ecclesia, & nominatur adventus Spiritus sancti, ut: accipietis δύναμιν, Act. 1. Ioël. 2. & Zach. 12. Effundam super domum David, &c.

Quæ est missio ad Ecclesiam duplex.

Et est hæc missio ad Ecclesiam duplex. Una singularis, statim post Christi ascensionem facta visibili specie, Act. 2. Altera universalis & perpetua invisibilis, quæ fit per vocem Evangelij, ad colligendam & sanctificandam Ecclesiam.

Cujus missionis S. S. officia sunt duplicia: publica & privata. 1. Publica.

Cujus missionis Spiritus Sancti officia sunt duplicia: Alia publica: alia privata Publica ad totum corpus Ecclesiæ pertinent: privata ad membra Ecclesiæ.

Publica sunt conservatio & gubernatio totius ministerij verbi & Sacramentorũ ab initio, & usq; ad finẽ Ecclesiæ, & cum hac

hac conjuncta efficacia spiritualis, ut labores ministrorum verbi salutares sint. De hoc: Accipite Spiritum sanctum, &c. *Ioh. 20. Item,* Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, *Act. 20.* Dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam, *Act. 13.* Visum est Spiritui Sancto &c. *Act. 15.*

Ad officium etiam publicum pertinet quòd Spiritus sanctus in ministerio de Christo publicum & privatum testimonium perhibet.

Cæterum in ministerio, Spiritus sanctus de persona, officio & beneficiis Christi testimonium perhibet publicum & privatum: publicum, cujus quatuor sunt gradus. Quorum primus continet miracula resuscitationis mortuorum, linguarum, & sanationis. Secundus fortitudinem martyrum. Tertius perpetuam Doctorum seriem. Quartus & ultimus tragicas hostium & contemtorum Evangelij pœnas: Privatum, ut in conversione nostra ad Deum, in quotidiana invocatione: in cruce & media morte.

2. Privata.

Ac ad privata Spiritus sancti beneficia quod attinet, certum est, Spiritum sanctum singulos credentes illuminare doctrinâ & consolatione, 2. Tim. 1.

Quæ sunt in duplici differentia: Singularia quæ dicuntur vel χαρίσματα vel διακονίαι, vel ἐνεργήματα. Communia rursus duplicia pertinentia vel ad piorum corpora; vel ad animum.

Hæc privata in duplici differentia sunt: alia singularia, ut certarum personarum & vocationum quasi privilegia, ut fortitudo Samsonis, sapientia Salomonis, & illa visibilis effusio, donum prædicandi, sanandi. Quæ dicuntur vel χαρίσματα, vel διακονίαι, vel ἐνεργήματα.

Communia sunt rursus duplicia, alia ad corpora piorum pertinentia, ut vivificatio, de qua: Spiritus Filii vivificabit corpora nostra mortalia, *Rom. 8. & inhabitatio Spiritus sancti in toto composito.* An nescitis corpora vestra &c. *1. & 2. Corinth. 6.*

Alia ad ipsam animam seu potentias animæ principaliter spectantia, ut mentem illuminat verâ agnitione essentiæ & voluntatis divinæ: Voluntatem flectit ad obedientiam secundum

dum omnia præcepta: in corde restinguit Spiritus sanctus incendia pravarum cupiditatum.

De his beneficiis ait Paulus ad Gal. 5. quando Spiritus sancti fructus recenset: Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia *&c. Et 2. Tim 1. in hanc sententiam ait:* Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed potentiæ, ac dilectionis & sobrietatis. De quibus Paulus ad Gal. 5.

Tertium *membrum continet causam missionis Spiritus sancti impulsivam. Datur autem Spiritus Sanctus propter meritum & intercessionem Christi, sicut ipse suâ voce testatur, Joh. 16.* Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. *Item,* Si non abiero, consolator ille non veniet ad vos. De tertio membro de causa Spiritus Sancti impulsivâ. Datur propter meritũ Christi.

Ac primò requiescit super semen Isai, & super surculum de radicibus ejus, id est, super Christum, filium Davidis secundum carnem, Rom. 1. & 9. Spiritus Jehovæ, Esa. 11. Spiritus Sapientiæ & intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Quæ requies Spiritus sancti de humanâ Christi naturâ intelligenda est. Requiescit enim super hominem factum, & requiescit παρεσία κὴ χαρίτμασι. *Unctus est & ipse, (quò ad humanam suam naturam) oleo lætitiæ præ consortibus suis, Psal. 45. Non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum Filio Davidis, sed plenitudo donorum omnium in ipso residet & habitat substantialiter & effectivè, ita ut de hac plenitudine & perfectione nos quoq; omnes accipiamus gratiam pro gratiâ, 1. Ioh. 1. Huc illa Col. 2. v. 3.* ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τ σοφίας κὴ τ γνώσεως ἀπόκρυφοι. *Et v. 9.* ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τ θεότητ σωματικῶς. Et ipsi Christo, sed ἀμέτρως. Et quidem secundum humanam suam naturam.

Quæ χαρίσματα Esa. 11. Spiritus sancti, Filius Dei in statu exinanitionis non semper exeruit. Ioh. 7.

Posteà, cùm status exinanitionis duraret, plenitudo illa donorum, præsentia & requies Spiritus in carne Christi, non plenè & semper se exeruit, nec inde ad alios visibiliter emanavit, sicut scriptum est Ioh. 6. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, *scilicet secundum carnem, Ioh. 7. v. 39.*

Quibus detur Spiritus sanctus? Resp. conversis juxta dicta & exempla scripturæ.

Datur etiam Spiritus sanctus in Ecclesia conversis per Ministerium verbi, & Sacramentorum, sicut dicta scripturæ & exempla ostendunt, Esa. 59. & Tit. 3. Act. 2. & 10. 19. Inprimis Joëlis 2. scriptum est: Effundam Spiritum meum super omnem carnem, *&c. Et:* Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. *Item Zach. 12.* Effundam super domũ David & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ & precum.

Quatuor media opponenda tentationibus carnis ex Ioël. & Zach. vaticin.

Quibus utriusq; Prophetæ verbis quatuor media exprimuntur, quæ tentationes carnis vincunt: Primum est Effundendi *verbum, quo immensa Dei liberalitas in hoc munere dando innuitur. 2. Signum universale* Omnis, *pharmacon plenissimum contra tentationem particularitatis. 3. Vocabulum* Carnis, *infirmitati naturæ nostræ oppositum. 4. Vox* Domus Davidicæ & habitatorum Hierosolymæ, *significans hoc donum contingere veris Ecclesiæ membris.*

Non mundo, non incredulis. Ioh. 14.

Et quia Christus Ioh. 14. inquit, Mundus Spiritum veritatis non potest accipere, *perspicuè docet, quòd, qui Filium Dei non noverunt. (per mundum enim hoc loco omnes increduli & veri Dei ignari intelliguntur) neq; verbum ejus audiunt, non fiant participes tàm præclari doni, sed qui ipsum audiunt, ex verbo patefacto cognoscunt, hi tàm eximio hospite donantur.*

Non Ethnicis.

Atq; hinc, quid de Ethnicis atq; aliis impijs eorumq; eximijs etiam donis sentiendum sit, apparet. Alia enim dona sunt

Spiritus

Spiritus ſancti ad ſalutem neceſſaria, 2. Cor. 7. Alia ſunt, ut teſtimonia fructus fidei, 2 Cor. 6. Gal. 5. Alia fidelibus neceſſaria invocatione, Eſ. 11. in cruce & morte. Unde Eccleſia canit: Da tuis fidelibus, in te confidentibus, ſacrum ſeptenarium, *id eſt, incrementum fidei & virtutum, quæ ſunt, 1. Sapientia, id eſt, agnitio Filij. 2. Intelligentia, ſcilicet verbi & Sacramentorum. 3. Conſilium in vocatione & actionibus. 4. Fortitudo in cruce. 5. Scientia in uſu exercitiorum ſpiritualium. 6. Pietas in vita, erga Deum & proximum. 7. Timor in corde & conſcientiâ uſq; ad finem vitæ. Alia neceſſaria miniſterio, 1. Cor. 12. Rom. 12. Alia denig; communia pijs & impijs. De quibus Bernhardus de Spiritu ſancto c. 3. inquit: Conceditur Spiritus ad uſum vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis, communia bona abundantiſſimè tribuens, ita, ut videatur hîc diſcretionis limitem non tenere. Multi igitur dona Spiritus ſancti habent, qui tamen Spiritum ſanctum, ſanctificantem eos, non habent. Quò Bezaleel, Exod. 31. Quò Hiram, 3. Reg. 7. Quò Ethnici, Heroes & alij, ornati Spiritus ſancti donis præclaris pertinent. Cujus dona neminem ſalvant, damnant autem potius per illorum abuſum. Et qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt Dei. Qui doctrinam Chriſti non habet, Deum non habet. Qui non credit in Filium, manet ira Dei ſuper eum, Rom. 8. Ioh. 3.*

Sacer ſeptenarius.

De quorum donis Bernhardus de Spiritu ſancto, c. 3.

Quò & illa exempla.

Quorum dona per abuſum potius damnant.

Quartum *membrum continet media ſeu inſtrumenta miſſionis Spiritus ſancti.*

De quarto membro, de mediis miſſionis Spiritus ſancti.

Medium ordinarium & legitimum effuſionis Spiritus ſancti in infantes, Baptiſmus eſt, Ioh. 3. Niſi quis &c. Item, Salvos nos fecit, &c. Tit. 3. excepto caſu privationis, de quo dictum Gen. 17. notum eſt: Ero Deus tuus; & ſeminis tui poſt te. *Huc & inſignis ſententia Auguſtini contra Donatiſtas lib 4. de Baptiſmo, cap. 24.* Tunc myſterium, *inquit*, Baptiſmi impletur

Quotũ primum eſt Baptiſmus quo datur infantibus.

Iuxta Auguſtinum.

impletur quando illud ipsum non excludit tempus religionis, sed articulus necessitatis.

In adultis verò sunt quatuor media.

In adultis verò media Spiritus sancti sunt quatuor. 1. Vox Evangelij audita, lecta & cogitata, 2. Cor. 3. Rom. 10. 2. Absolutio. Accipite Spiritum sanctum, & Joh. 20. 3. Ardens invocatio, Act. 2. qualis fuit Apostolorum in die Pentecostes. 4. χειροτονία καὶ χειροθεσία, 1. Tim. 4. quæ non erat ἄεργον σύμβολον, sed piarum precum, pro tanto dono impetrando efficaciam significabat.

Discrimen efficaciæ S. S. & ministerii hominis.

Distinguendum est autem inter efficaciam Spiritus sancti, & ministerium hominis. Siquidem illa causæ efficientis; hoc verò solius organi & instrumenti rationem habet.

Quæstio an per legem detur Spiritus sanctus. Resp. Non.

Breviter per ministerium Evangelij, non per concionem legis datur Spiritus sanctus, juxta dicta, Gal. 3. 2. Cor. 3. Ioh. 7. Etsi enim Lex spiritualis est per se, & pædagogus ad Christum, non tamen exhibet Spiritum sanctum, ut Paulus evincit, Gal. 3. v. 2. & 21. In quam sententiam & Chrysostomus inquit, οὐ γὰρ πνεῦμα ἐκόμισε Μοϋσῆς, ἀλλὰ γράμματα.

De quinto membro, de domiciliis Spiritus sancti. Qui sint domicilia, qui non.

Quintum *membrum agit de templis & domicilijs Spiritus sancti. Etsi autem omnibus promittitur Spiritus sanctus ex Dei parte, Joël. 2. tamen non omnibus datur respectu hominum: non otiosis, non securis, non contemtoribus verbi, & Sacramentorum, non deniq; Spiritui sancto hostiliter repugnantibus. Mundus enim Spiritum veritatis capere non potest, Ioh. 14. v. 17. Sed datur Spiritus sanctus auditoribus Evangelij, rectè utentibus Sacramentis, invocantibus Deum, pacem & veritatem diligentibus, Zach. 8. & ὁμοθυμαδὸν viventibus, Act. 2. v. 1. juxta dicta:* Quantò magis Pater ille cœlestis dabit Spiritum Sanctum τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν, *Luc. 10. v. 13. Et Paulus ad Gal. 3. v. 14. inquit, quòd* promissus ille Spiritus

ἡ ἐπαγγε-

ἡ ἐπαγγελία τ πνεύματ accipiatur per fidem. *Et* Dedit Spiritum sanctum obedientibus ipsi, πνθαρχῶσιν αὐτῷ, *Act. 5. Et Zach. 12.* Effundam *&c.*

Consolatio iis, qui sunt templa & domicilia Spiritus sancti.

Quanta autem consolationis vis hæc sit, scire te, & quidem certò, quòd sis templum & domicilium Spiritus sancti, dici non potest. Hinc enim certa spes auxilij & resurrectionis dependet. Quî enim hoc templum prorsus destrueretur & in nihilum redigeretur, in quo Sacrosancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus habitat? Johan. 14. 1. Cor. & 2. Cor. 6. Rom. 8. vers. 9.

Admonitio necessaria ut maneamus domicilia Spiritus sancti.

Monemur autem, ut ita vivamus in luce & cruce, quò maneamus tanti Numinis domicilia: moneat & moveat nos immensus Dei amor, quo de Spiritu suo in nos effundere non dedignatur, ut in nobis habitet, nosq; in omnibus regat & adjuvet actionibus: moveat nos liberalitas & promtitudo Dei in tàm amplissimo munere conferendo, Luc. 11. Zach. 12. Joël. 2. 1. 2. *Moveat nos utilitas, tàm præstantis doni, de quo Paulus Rom.* 3. *8. ait,* Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filii Dei. *Et contrà moveat nos incommodum non retenti vel amissi Spiritus sancti, de quo idem Apostolus, Rom. 8. v. 9. dicit:* Si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus. *Item:* 1. Cor. 13. v. 17. Si quis Templum Dei profanat, hunc perdet Deus: *Moveat nos imbecillitas naturæ humanæ, quæ est infelix sine Spiritu sancto, sicut Regius vates Psal. 51. orat,* Spiritum tuum Sanctum ne auferas à me. *Denique moveant nos exempla eorum, qui adjuti à Spiritu sancto, res salutares sibi & alijs gesserunt, ut Josephi, Davidis, Danielis, & aliorum: & eorum quoq; qui deserti à Spiritu sancto in horrendos furores & tragicas calamitates inciderunt, ut Caini, Saulis, Achitophelis, Judæ & aliorum.* 4. 5. 6.

Refutatio eorum, qui Spiritum Christi non habent.

Refutantur itaq; omnes illi, qui non sunt templa & domicilia Spiritus sancti, quid enim boni cogitare & præstare possunt? Quantumvis foris & ἔξωθεν emineant: ἔσωθεν tamen Deo displicent & sunt abominatio. Qui enim Spiritum Christi non habet, non est ejus, ut jam percepimus.

De sexto membro, de signis præsentiæ Spiritus sancti.

Sextum *membrum continet τεκμήρια præsentiæ Spiritus sancti. Quorum primum est studium discendi Evangelium & proficiendi in eo ardens, Ioh. 8. 14 Psal. 18. 42. & 49. Alterum ardens invocatio Dei. Luc. 11. Rom. 8. Gal. 4. Tertium interius testimonium Spiritus sancti, quo erigitur & confirmatur cor in veris pavoribus & doloribus, ut certò statuat, se habere Deum propitium. Spiritus enim Christi testimonium perhibet Spiritui nostro, quòd simus Filij Dei. Et: Qui credit in Christum, testimonium in seipso habet.*

Non semper respiciendũ est ad hoc internum Spiritus sancti testimoniũ, quod interdum differt, sed ad verbũ promissionis, cui si adhæremus: Spiritus sanctus nos non deseret.

Et licèt internum hoc Spiritus sancti testimonium in Te non semper sese exerat, (est enim & hæc tentatio Dei, in latam tamen κατατροφὴν directa) firmiter tamen verbo Spiritus sancti inhærendum est: cor contritum & humiliatum Deus non despicies: propè sit verbum in ore & corde tuo. Et tandem veniendo veniet & non tardabit, Hab. 2. Dabit testimonium Spiritui tuo, quòd sis filius Dei, quidvis etiam tentet Satanas ignito particularitatis & indignitatis suæ telo.

Quartum est constantia in confessione veræ fidei. Nemo enim potest Dominum dicere Iesum, nisi in Spiritu sancto, 1. Cor. 12. v. 3. Quintum ardens desiderium & indubitata spes resurrectionis & alterius vitæ, Eph. 1. 2. Cor. 1. Iob. 19. Sextum est verum odium peccati Rom. 8. Gal. 5. Ultimum patientia seu obedientia. Oportet enim nos καυχᾶσθαι ἐν τῇ θλίψει. Item patientia parit probationem &c. Roman. 5. Luc. 8. v. 15.

Septi-

De septimo membro, de modo retentionis Spiritus sancti.

Septimum *membrum agit de modo retentionis Spiritus sancti. Retinetur autem non nostris meritis, sed beneficio gratiæ Dei, per Christum, fide se exerente per dilectionem, 2. Pet. 1. Rom. 11. Virtute Dei custodimini per fidem ad salutem. Non relinquet nos Orphanos. Non destituet omni bono inquirentes Dominum, Ioh. 14. Psal. 34.*

Retinetur beneficio gratiæ per Christum.

De ultimo, de causis excussionis Spiritus sancti.

Vltimum *membrum agit de causis excussionis Spiritus sancti. Quanta autem sit calamitas, jacturam facere Spiritus sancti & bonorum cœlestium, ac reliquorum æternorũ, quæ cum donatione Spiritus sancti, nexu individuo cohærent, ostendit Paulus Rom. 8.* Si quis Christi Spiritum non habet, non est ejus. *Et,* qui templum Dei profanat, hunc perdet Deus. *Cavendum itaq; nobis est, ne contristemus hunc dulcẽ hospitem, id est, ne ejiciamus erroribus, & peccatis contra conscientiã.*

Magna autẽ est calamitas jacturam facere Spiritus sancti.

Itaq; cavendum, ne tristemus Spiritum sanctũ & excutiamus.

Excutitur verò Spiritus sanctus duobus erroribus, ex quibus prior pugnat cum fundamento, id est, cum præceptis Decalogi, cum articulis fidei & cum institutione Sacramentorum: Posterior contra conscientiam, juxta dicta: Ne erretis, scortatores *&c. 1. Cor. 6. Item,* Bonâ conscientiâ repulsâ, fidei quoq; fit naufragium, *1. Tim. 1.* Si secundum carnem vixeritis, moriemini, *Rom. 8.* Qui facit peccatum, ex Diabolo est, *1. Ioh. 3.* Revertitur Spiritus malignus, *2. Pet. 2.* Si justus iniquitatem fecerit, secundum abominationem impiorum, aversus scilicet à justitia, nunquam vivet, *Ezech. 18. 33.*

Qui excutitur Diaboli erroribus.

Vnde Anabaptistarum & aliorum error 1. refutatur ex dictis Scripturæ.

Non enim, ut Antinomi & Anabaptistæ & alij fanatici delirant, retinetur Spiritus sanctus, & fides, cum errore in fundamento, & cum proposito peccandi contra conscientiam. Obstant enim gravissima Pauli testimonia, Rom. 8. 1. Cor. 10. Qui stat, videat ne cadat. *Et Petri, 2. Pet. 2. v. 10.* Si cum effugerint inquinamenta mundi, per agnitionem Domini

Domini noſtri Ieſu Chriſti, his rurſus implicantur, fiunt eis noviſſima deteriora prioribus. *Quam ſententiam ex Chriſti ſermone Luc. 11. mutuatus eſt. Idem loco indicato, converſos in peccatum lapſos, confert porco revertenti ad volutabrum; & cani redeunti ad vomitum. Hujus ſententiæ quoq; eſt, quod Apoc. 2. dicitur:* Memor eſto unde lapſus ſis, & age pœnitentiam.

2. Ex epithetis Spiritus ſancti.

Obſtant Spiritus ſancti deſcriptio & illius epitheta, quæ Spiritui ſancto non verè poſſent tribui, ſi retineretur & non excuteretur his & ſimilibus peccatis & ſceleribus. Sed ut fœtor columbas: ita peccatorum noſtrorum ſordes tàm tetræ expellunt Spiritum ſanctum & excutiunt.

3. Ab exemplo primorum parentum.

Obſtant deniq; exemplа primorum parentum, *qui gratiam Spiritus ſancti, & illorum donorum præſtantiam, quam ante lapſum habuerant, amiſerunt, quando fraude Diaboli & propriâ voluntate, neglecto Dei mandato, mendacio Satanæ aſſenſi ſunt.*

Aaronis.

Aaronis, *cui Dominus propter vituli fabricationem tàm graviter iratus erat, ut voluerit eum totum perdere, Deut. 9. v. 20. Et magna eſt verbi emphaſis, quod hoc loco exprimitur* וְהִשְׁמִידוֹ.

Saulis.

Saulis, *qui peccatis contra conſcientiam, tyrannide atq; hypocriſi à Deo avulſus, in æternum ruit exitium, 1. Sam. 16. 18.*

Davidis.

Davidis, *qui & propter homicidium & adulterium commiſſum, revera amiſit Spiritum Sanctum. Hinc orat: Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ, Pſal. 51.*

Petri.

Petri, *qui ter negarat Magiſtrum ſuum, & ſe omnibus diris devoverat. De quo, ἀναθεματίζειν Evangeliſtæ verbo utuntur.*

Salomonis Manaſſæ. & Paulus potuiſſet amittere S. S. Magna contrà eſt conſolatio, quòd

Huc & Salomonis, *3. Reg. 1.* Manaſſæ, *4. Reg. 21. 2. Par. 33.* Pauli, *1. Cor. 9. ne reprobus fiam.*

Hoc verò ἀνάμυθιον *eſt, quòd excuſſus, per pœnitentiam veram recuperatur, ut in primis noſtris parentibus, Aarone, Davide,*

Davide, Manasse, Petro & alijs videmus. Nullum enim peccatum tam atrox est, quod pœnitenti non remittatur.

per pœnitentiam recuperetur.

Sunt quidem peccata, quæ neq; in hac, neq; in altera vita remittuntur, quæ Mat. 12. Marc. 3. dicuntur βλασφημία & πνεύματος, propter atrocem contumeliam, quâ afficitur Spiritus sanctus immediatè, per πόλεμον ἀκήρυκτον καὶ ἄσπονδον, adversus ministerium suum veritatis, scilicet cœlestis, illustribus testimonijs divinitùs patefactæ, & confirmatæ, & illuminationis divinæ, ab in incredulitate & in impœnitentiâ perseverantibus, 2. Cor. 3. interprete autore Epistolæ ad Ebr. c. 6. & 10. ubi perinde, ac ab Apostolo 1. Tim. 4. universalis & perpetua seu finalis à fide ἀποστασία definitur, seu defectio à verbo Dei, bono per illuminationem Spiritus gustato, à Joanne verò cap. 5. peccatum ad mortem nuncupatur κατ' ἐξαίρετον λόγον, pro quo non sit orandum.

ἀξίωμα Theolog. Quædã vero peccata non remittuntur.

συνάνυμα peccati in Spiritum Sanctum.

Cujus species seu gradus D. Philippus tres constituit, 1. Epicureum contemtum universæ religionis Christianæ, quæ à Spiritu sancto βεβηλότης nominatur. 2. Odium Pharisaicum, quod est hostilis agnitæ veritatis Evangelicæ contra conscientiam usq; ad extremum vitæ finem capitalis insectatio, qualis fuit in Pharisæis & Judæis. Matth. 11. 12. Joh. 8. & in alijs Apostatis. 3. Desperationem finalem, anteferentem peccata sua meritis Filij Dei, Gen. 4. ut videre est in Caino, Saule, Achitophele, Juda, Francisco Spira, Latomo, per incredulitatem finalem, sine ulla pœnitentia in æternum exitium demersis.

Cujus Species à D. P. M. tres constituuntur.

Verùm hæc peccata non dependent per se, ex atrocitate illorum, quasi Dei misericordia & merito Christi peccatum aliquod majus esse possit. (Sic enim conscientiæ nullam firmam fidei & salutis ancoram haberent,) sed ex accidente, partim ab auctore salutis, & veræ pœnitentiæ fundamento, sacrificio Christi; partim à medio applicationis, & organo conversionis,

Non per se, sed per accidens respectu obstinatorum qui denuo dicuntur crucifigere Filium Dei.

odio obstinato, per summam contumeliam repudiato, & furenter sine fine oppugnato, quo cum excæcatio & induratio, justo Dei judicio, conjuncta est. Id quod autori Epistolæ ad Ebræos est, per incredulitatem denuò sibimetipsi crucifigere Filium Dei; eundem risui ac ludibrio habere, imò pedibus conculcare & sanguinem testamenti profanare, extra quem non amplius hostia pro peccatis reliqua est, sed formidabilis quædam judicij expectatio, & ardor ignis devoraturus adversarios, perinde atq; morbo contemto & medico, unà cum remedijs horribili furore repulsis & repudiatis, nulla spes sanitatis reliqua est, sed certissimus manet ægrotum interitus.

Declaratio rei per simile conveniens.

Respectu enim Dei & Christi nullum est peccatum in Spiritum S.

Quòd autem respectu dispensationis Evangelicæ seu gratiæ Dei, supra peccatum longissimè exuberantis, Rom. 5. & meriti Christi verè καθολικῆ 1. Tim. 2. quo redimitur Israël ex omnibus iniquitatibus suis, Psal. 130. nullum peccatum sit irremissibile, testatur primùm promissio gratiæ universalis, 1. Tim. 2. Deus vult omnes &c. Mat. 11. Venite ad me omnes. Secundò mandatum universale, quod jubet credere: Hunc audite; de quo dicitur: Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomen Filij ejus Jesu Christi, 1. Johan. 5. Tertiò mandatum generale solvendi peccata, Matth. 16. 18. Ioh. 20. Quartò donum fidei & conversionis ex DEI parte universale, 1. Timoth. 2.

1.
2.
3.
4.

Admonitio.

Monemur itaq;, 1. ut caveamus ne contristemus Spiritum sanctum aut expellamus nostris sceleribus. 2. Aut vel si scientes, vel decepti pravo sodalitio expulerimus eundem, & illius jacturam fecerimus, pœnitentiam agentes, resurgamus, memoresq; Christi meriti, recurramus verâ fide ad ἀλεξιφάρμακα illa, de quibus jam egimus.

Refutatio errorũ No-

Quàm teter ergo sit Novatianorum & Catharorum error,

ror, quo negarunt semel lapsos recipi posse, videmus. Certum enim est, Autorem Epistolæ ad Ebræos 6. & 10. capitibus loqui de universali & finali ἀποστασία, & quòd non alia sit pro peccatis hostia, quàm una, meritum nempe Christi. Verùm his opponimus dicta, Ezech. 18. 33. Luc. 15. Apoc. 2. & exempla jam citata.

vatianorum & Catharorum,

Quàm teter denig, sit error Antagonistarum nostrorum, quo contendunt Spiritum sanctum amitti non posse, colligimus.

& Cinglianorum.

Adducunt quidem similitudinem igniculi in cineribus latitantis. Ut igniculi non prorsus extincti sunt, sed adhuc candent, & facili negotio incandescunt: ita Spiritus S. non totaliter amittitur, sed vires & opus suum tantùm non exercet.

Seminis in agro delitescentis, & fructum in hoc latitantiũ.

Echo, qua utitur Beza 2. ad acta Mompel. coll. pag. 37.

Rationis in ebrijs hominibus, idem in Epistola ad Rom. 9. Calvinus in Psal. 51.

Sed hæ similitudines huc prorsus non faciunt. Alia enim est ratio excussionis & amissionis Spiritus sancti, & harum similitudinum, quæ in Deum non cadunt. Ex natura enim petitæ sunt, & quomodo hîc ad creatorem accommodari poterunt?

Quorum similitudines hùc non faciunt.

De IV. & ultimo capite doctrinæ de Spiritu Sancto, quod continet αἰτιασιολογὴν errorum præcipuorum de Spiritu Sancto.

De ultimo capite αἰτιασιολογίᾳ errorum de S.S.

QVia Spiritus malus, Spiritus mendacij & errorum est: Spiritui bono, seu sancto, quibuscunq, modis potest, contradicit, per sua organa, per quæ hæreses & errores seminat & spargit. Sic & contra ipsum Spiritum sanctum, illius personam, officia & beneficia hæreticos non exiguo excitavit numero, quorum hæreses tamẽ ex antecedentibus facilè refutari possunt.

Spiritus malus contra Spiritum bonum.

Spiritus mẽdax in ore omniũ pseudoprophetarum.

Distributio errorum in 6 classes.

Distribuentur verò à nobis in sex classes, quarum prima *complectitur delirium Samosatenianorum, & Sabellianorum, qui finxerunt, Spiritum sanctum esse ipsum patrem, agitantem & moventem, sine persona alia, & quæ nomine Spiritus sancti appelletur, ratione diversi respectus, & officij citra personarum distinctionem.*

1. Classis complectitur Samosatenianos & Sabellianos.

2. Macedoniũ & sectatores illius.

Altera, *complectitur Macedonium & sectatores illius, qui Spiritum sanctum creaturam, græcè δημίεργον vocarunt, & solius Christi ministrum, arreptâ occasione, vel potius prætextu erroris sui, ex Symbolo Nicæno, quòd scilicet Pater, Dei; Filius; Domini, Spiritus autem sanctus, neq; Dei, neq; Domini titulo in illo insigniatur, sicut testatur histor. Tripart. lib. 4. c. 22. Et Theodoretus lib. 2. c. 6. Et lib. 5. c. 10.*

3. Eunomianũ & Eudoxium & alios.

Tertia *continet Eunomianum, Eudoxium & cæterorum Arianæ & Macedonianæ hæreseos propugnatorum deliria, qui negarunt Spiritum sanctum esse Deum seu Dominum. Qui postea generali nomine appellati sunt πνευματόμαχοι, Hist. Tripart. lib. 5. c. 41. Alij verò eorum Spiritum sanctum creaturam virtutibus Angelicis præstantiorem & Christi ministrum esse voluerunt: Alij Spiritus sancti nomine qualitates tantum in animis hominum creatas intellexerunt, id est, gratias & dona Spiritus sancti. Consensu autem Ecclesiarum Occidentalium & Orientalium damnati sunt. In Occidente, Romæ, à Damaſco Episcopo Romano, Anno 373. Macedonianum delirium damnatum fuit: Si quis de Patre & Filio sentiat, de Spiritu sancto sententiam rectam non habeat, is hæreticus est. Teste Theodoreto lib. 5. c. 10.*

Qui refutati sunt ab Ecclesiis in oriente & occidente.

Et in synodo Alexandrina & Constantinopolitana.

Hac confessione autem non contenti fuerunt, ideo in Oriente deinde coacta fuit Synodus Alexandrina, & deinde jussu Theodosii Imperatoris Constantinopolitana Oecumen. secunda, Anno 385.

no 385. convenientibus centum & quinquaginta Episcopis orthodoxis, inter quos & Gregorius Nyssenus, Amphilochius, Nazianzenus, Cyrillus & Meletius fuerunt, qui Macedonium, per vim ab Arrianis, ad Episcopatū Constantinopolitanū evectum, & illius sectatorum blasphemias refutarunt, & doctrinam de Spiritu sancto, æterno Deo, ex sacris literis confirmarunt; addentes ad Symbolum Nicenum hæc verba: Credo in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur, qui locutus est per Prophetas, &c.

Quarta classis habet Servetianos & Anabaptistas, qui cominiscuntur, Spiritum sanctum esse vim illam, quæ rebus à Deo creatis infusa sit, quam aliàs usitatè naturam vocarunt, per quam agitantur ac moventur omnes creaturæ. Item Antitrinitarios, qui non tantum Deitatem Spiritus sancti oppugnant, contendentes, Spiritum sanctum, ut personâ, ita essentiâ à Patre & Filio distinctum esse, sed etiam æternitatem Spiritus sancti negant, contendentes, Spiritum sanctum ante & post dona visibilia effusa in Apostolos, in die Pentecostes, nihil fuisse unquam, nec esse quicquam amplius. Unde Spiritum sanctum non verentur appellare θεὸν ξενὸν ἐξωτικὸν, καὶ παρέγγεαπτον. 4. Servetianos & Anabaptistas.

Quinta classis referta est Græcis recentioribus, qui negarunt processionem Spiritus sancti à Patre & Filio, seducti vel perversâ Testimoniorum scripturæ interpretatione, vel veterum scriptorum sinistrâ explicatione. 5. Græcos recentiores.

Vltima relinquitur ijs, qui credentibus non ipsum Spiritum sanctum κατ' ἐσίαν, sed ἐνέργειαν tantùm, & secundum dona seu effectivè concedi, dariq; fingunt. Et quia hic teterrimus error in multorum animis adhuc hæret, à nobis refutandus est solidè. 6. Antagonistas nostros.

Quorum errores solidè refutantur.

Non autem effectivè tantùm, & quò ad dona Spiritus sancti in cordibus credentium habitat, sed quò ad substantiam, id multis argumentis demonstramus.

1. A scripturæ dictis.

Quorum primum sumitur ab expressis scripturæ dictis, Rom. 8. Spiritus, qui excitavit Christum à mortuis, habitat in vobis. *Rom. 5.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Gal. 4.* 1. Thes. 4. v. 8. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. *Et 5. cùm nominat fructus Spiritus, discernit inter causam & effectum, 1. Ioh. 4.* In hoc scimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo nobis dedit. *Et Eph. 4.* Ne contristetis Spiritum Dei, per quem obsignati estis. *Joël 2.* Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. *Es. 59.* Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, *&c. In his scripturæ dictis Spiritus sanctus à donis & operationibus, quas edit, evidenter distinguitur.*

2. Ab essentia Spiritus sancti simplicissima. R. P. L. Simplicissima essentia dividi non potest.

Alterum sumitur ab unitate & essentiâ Spiritus sancti. Quia enim unus est tantùm Spiritus sanctus personaliter, non essentialiter acceptâ hac appellatione, qui est purissimæ ac simplicissimæ essentiæ divinæ, ideò neq; divisio propriè neq; partitio in natura ejus locum habet.

3. A contrariis.

Tertium à contrario. Si Spiritus malus substantialiter est in impijs, quos sæpè, tempore Christi inprimis, obsederat, Ergo Spiritus bonus contrà substantialiter est in credentibus, Tit. 3. (obsessio enim Diaboli vel corporalis vel spiritualis est.)

4. A consecutione distinctionis necess. inter personam & dona S. S.

Quartum à necessaria distinctione inter Spiritum sanctum, & dona ipsius, quæ operatur in credentibus: quo nomine Lombardum notatum legimus, qui scripsit charitatem, quâ nos diligimus Deum & proximum, non esse aliquid creatum in voluntate, sed esse ipsam personam Spiritus sancti, non quòd

ipse

ipse actus diligendi sit Spiritus sanctus, sed quòd Spiritus sanctus moveat voluntatem ad diligendi actum sine medio aliquo habitu.

Error Osiandri.

Atq; ita Osiander quoq; erravit, statuendo obedientiam nostram esse justitiam Dei essentialem, ita, ut præter & extra Christum, renovatio nostra judicio Dei opponi possit.

Verùm hæc simplex ac vera sententia tenenda est, Dari quidem Spiritum sanctum credentibus, unà cum suis donis, quæ operatur in cordibus fidelium, non absens, sed præsens, sed interim tamen esse & manere discrimen inter Spiritum sanctum & dona ejus creata, & discernendum esse autorem ab effectibus, & ipsum Spiritum sanctum à suis fructibus, sicut Paulus ipse facit ad Gal. 5. & 1. Cor. 12. Eph. 5.

5. Inter pios, & impios.

Quintum à distinctione necessaria inter pios & impios, fideles & infideles. Nam aliud est loqui de donis impiorum & piorum, impijs enim adest Spiritus sanctus præsentiâ quidem universali, seu virtuali, pro suâ voluntate, sed non peculiari eâ, quâ pijs adest, quâ ijdem sanctificantur, quæ in Ecclesia est credentium propria, Esa. 59.

6. Ab authoritate Lutheri.

Ultimum sumitur ab autoritate piæ antiquitatis, inprimis Lutheri in Psal. 51. Omitto inutiles, inquit, scholarum disputationes, loquaturne de personâ divinâ, an de dono Spiritus? Quid enim hæc etiam accuratè disputata ædificant? cum habeamus clarum testimonium Christi, veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Habitat ergo verus Spiritus in credentibus, non tantùm per dona, sed & quòd ad substantiam suam. Neq; enim sic dat dona sua, ut ipse alibi sit, aut dormiat, sed adest donis & creaturæ suæ conservando, gubernando, addendo robur.

Et quidem in nostri cõsolationem.

Et hæc similiter credẽda & retinẽda sunt in nostri consolationẽ.

Eo

Et quidem in nostri consolationem.

Eo ipso enim, quòd Spiritus sanctus in nobis κατ' ἐσίαν habitat, naturæ nostræ dignitas, liberatio ex nostris periculis certa, & nostræ resurrectionis indubitata spes colligitur; & hinc certò dependet.

Sumus domicilia Spiritus sancti, quæ inhabitatio non summam non naturæ nostræ dignitatem & majestatem adfert & conciliat, Ioh. 14. 1. Cor. 6. & 2. Cor. 6.

Spiritus sanctus, qui in nobis habitat, suum domicilium & templum deseret? Hoc in nihilum redigeretur? Non de novo ædificatum suscitaret? Job. 19.

Quâ privaremur, si error hic non refutaretur.

Quod si enim hæc nostra fides retento hoc errore labefactatur, introducitur quævis vivendi licentia: concidit nostra spes & fides in periculis & ipsa morte. Væ miseris & derelictis nobis, si Spiritus sanctus tantum effectivè adest, ut sol operatione suâ. Quid discriminis erit inter Creatorem & Creaturam, inter autorem & effectus?

Non igitur ferendi sunt, qui negando hæc singula, nobis hanc consolationem, quantum quidem in ipsis est, eripiunt. Non ferendi etiam sunt, qui non distinguunt inter Spiritum sanctum, & dona ipsius &c.

Hæc de doctrina Spiritus sancti non ut debui, aut ut volui, sed ut potui, dixi & scripsi, pro meo nimirum modo ac modulo, mihi omnium minimo, ab ipso Spiritu sancto concesso. Mensura enim effusionis Spiritus sancti in manu libertatis ac voluntatis Dei est, qui & in domum David, & in habitatores Jerusalem, (ut in dedicatoria vaticinij Zach. 12. percepimus) hoc est, in Rectores & auditores Ecclesiæ, sua dona effundit, pro ut vult, & quantum vult.

Quæ ipsa differentia præcipuè in primitiva Ecclesia, in divisionibus gratiarum, ministrationum & operationum conspicua

cua erat, quas Doctor ille gentium, Paulus Apostolus enumerat 1. Cor. 12, v. 8. cum inquit: Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ, κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratiæ, (χαρίσματα ἰαμάτων) sanitatum in eodem Spiritu: Alii operatio virtutum, (ἐνεργήματα δυνάμεων) alii prophetia: alii discretio Spirituum, (διακρίσεις πνευμάτων): alii gratia linguarum (γένη γλωσσῶν): alii interpretatio (ἑρμηνεία γλωσσῶν) Hæc autem omnia operatur unus atq; idem Spiritus, διαιρῶν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καθὼς βούλεται. Eadem & in officijs evidens erat, quidam enim eorum Apostoli erant, quidam Prophetæ, alij Evangelistæ, alij Pastores & Doctores, Eph. 4. v. 11. Omnes autem ab uno veritatis Spiritu illuminati & in omnem ducti veritatem, divulgarunt veritatem Evangelij. Unde & illorum scripta & testimonia αὐτόπιστα, ἀξιόπιστα, ἀποδεικτικὰ sunt, quæ & tam plana & perspicua & ἐμφατικὰ sunt, ut nullam aut dubitationem aut disputationem admittant & permittant.

Et licèt hæc differentia donorum & operationum ad extra non sit nunc quidem (postquam defecit miraculosa Spiritus sancti effusio) tàm evidens: tamen adhuc aliqua in Ecclesia Christi inter pios conspicitur. Etenim si quis seipsum & alios intentiùs & περιεργοτέρως observaverit, non obscurum erit, etiamnum & hodie, mirabiliter & variè Spiritum sanctum sua charismata distribuere.

Quod & Christus similitudine talentorum, inæqualiter inter servos distributorum, adumbrat. Uni enim data sunt quinq; talenta, alii autem duo, alii verò unum; unicuiq; autem secundum propriam virtutem, Mat. 25. v. 15. Quam inæqualitatem in nobis agnoscere, & metiri nosmetipsos nostro modulo, decet,

ne vel invideamus alteri sua dona (ut fieri solet in hoc ἐριστικῷ seculo, in quo sape tot rixæ, contentiones, & pressuræ etiam livorum oriuntur & audiuntur, qui aut superiores, aut pares etiam ferre non possunt; & quidem ex mero livore, quo agnoscere noluut, unde hujus vel illius dona venerint, in quem finem à Deo huc vel illi contributa sint) Nemini, inquam, illa invideamus, neq; nobis contrà, temerario ausu atq; infelici eventu, ea sumamus, quæ data & concessa non sunt. Neq; denig; imaginemur nobis, omnia & singula simul in nos esse collata, & nos posse omnia, ita, ut alter omninò nihil sciens, velut umbra vagetur.

Nam ut Baptista inquit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, *Ioh. 3. v. 27.* Item, Non plus sapere debemus, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Nam & unicuiq; Deus divisit mensuram fidei, *Rom. 12. v. 3.* Sic & unusquisq; conferat donationes secundum gratiam differentes, in unius corporis ædificationem. *v. 6.*

Quò & ipse hoc meo tractatu tenui & brevi respexi: In alijs dona Spiritus sancti, liberalissimè collata, debitâ animi reverentiâ libenter agnosco, & Deo gratias ago, quòd huic plus, alteri minus: unicuiq; autem, pro ratione vocationis suæ, tantum, quantum voluit, ex mera gratiâ & bonitate dedit & concessit. Oro autem & precor Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut nos per Spiritum suum flectat & regat, quò nostro modulo & talento θεόθεν nobis collato, ipsi & Ecclesiæ Christi, inprimis fratri & proximo nostro inserviamus & commodemus, propter finem illius, & Dei mandatum severissimum, licèt ad nos vel exigui, vel nulli etiam fructus redundent. Remunerator enim Deus futurus est in cœlis.

Spiritus sanctus, qui Spiritus est pacis & veritatis, φιλησύχως

σύχους & veraces nos reddat, ut pacem (Phil. 2. 1. Cor. 2.) colamus: veritatem cœlestem & Christianam diligamus: de nobis humiliter sentientes, omnia in Numinis & Nominis divini gloriam conferamus.

Spiritus sanctus, qui in nos effusus est πλουσίως Tit. 3. noster etiam sit παράκλητος, consolator & Advocatus. Consolator nobis 1. in cruce constitutis vivâ suâ consolatione adsit, & nos erigat. 2. in hujus mundi certamine, in quo sæpè vincimur, premimur, & modis denigz miris, ut mori malimus, quàm vivere, exagitamur, nos suâ consolatione non deserat, eò quòd Christus πεφιλαχὼς noster vicerit mundum, Ioh. 16. Inprimis 3. in ultimo illo conflictu, in quo concurrunt, & viribus conjunctis agunt tot hostes, in nostri cædem & perniciem extremam, (peccatum, maledictio legis, ira Dei, concupiscentia carnis, cogitationes pravæ, (πονηροὶ συλλογισμοὶ) mala conscientia, Diabolus, mors, infernus & mundus, & reliqui de quibus Panoplia Nostri Mamphrasii, S S. Theol. D. & Superintendentis Episcopatûs Misnensis &c. fusiùs disserit) Advocati partes fidelis etiam in se recipiat.

Ab his enim hostibus, viribus & numero nobis superioribus, delati ante tremendum Dei severissimi tribunal, revera, subsistimur. Et sanè nostri respectu hostes isti bonam fovent causam. Peccatorum namz sordibus inquinati, æternæ damnationi obnoxij; & omnibus omnium horum hostium injurijs expositi sumus. Verùm hic noster παράκλητος & Advocatus, causam nostram agens, ab irato primò ad placatum Deum in hoc conflictu appellat; deinde misericordiam Dei, in Filio infinitam & immensam πᾶσι τῷ πιστεύοντι καὶ μετανοοῦντι declaratam, (per expressa scripturæ dicta & exempla) ab exordio mundi, ad τὸ νῦν usqz, nobis proponit. Tertiò καθολικὸν Christi,

Filij Dei meritum nobis rectà monstrat; & verâ denig; fide applicat, suggerendo illa, & hæc fortissima tela suppeditando nobis:

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, *Joh. 3.*

Agnus Dei (occisus etiam ab origine mundi) tollit ὁ ἄιρων peccatum mundi, atq; ita tuum tollit, Ioh. 1. quia & tu in mundo es. Item πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος &c. 1. Tim. 1. Item: Vivit in me Christus. Quòd autem nunc vivo, *ζῶ ἐν σαρκὶ, πίστει ζῶ τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, τοῦ ἀγαπήσαντός με, καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, Gal. 2. v. 20. Item: οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις. &c. ad Rom. 5. v. 20. Eph. 1. v. 8. Dives est ipsius gratia, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς. Ubi singula sunt de pondere. Item Ezech. 18. v. 31.* Nolo mortem morientis, dicit Dominus, *sive, ut in Ebræo est:* Non delector morte morientis, *&c. 33. Matth. 11. Quæ & confirmat exemplis, primorum parentum, Aaronis, Davidis, Manassæ, Latronis, Petri, Pauli, Mariæ Magdalenæ &c.*

His ita nos armat, hæc præstat nobis, ut in hoc conflictu plusquam victores simus, per eum, qui dilexit nos, Rom. 8. v. 37. per eum, qui nobis suo merito peperit & dedit victoriam, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria infinitis seculis.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0098
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0100
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0101
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0102
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0103
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0104
DFG

nopliæ T.4.p.281.§.282.& Balth.Mentz *Piſtorio*
Oper.Lat.Tom.2. p. 1745. *ſeqq.* Licet ꝛ Miſſa
probanda allegetur 1. Cor 10. v. 16. tan *letGer-*
hardus in Dogmat. Papal. p. 81. *Mi* *qua ve-*
ritatis ſpecie ſacrificium Miſſæ ex his *poſſit.*
Nullus unquam ex ſcriptoribus Pontific *ibus hoc*
dicto ab ſtabiliendum Miſſæ ſacrificium *, quan-*
tum quidem mihi conſtat &c.

§. II. *Franciſcus Carriere in Com* *verſam*
*ſcripturam edit.Lugd.f.*518. ita in Mala *entatur:*
Hebraice eſt Mincha,quod licet in gene *u donum*
ſignificet, à Deo tamen appropriatur *i ſpeciei*
ſacrificii ex pane vel farina confecti, *quod ac-*
cedente ordinario libamine vini,ut Nu *cribitur,*
typus erat ſacrificii novæ legis euchar *od unum*
& ſolum quadrant perfectiones ſac *expreſsè*
docent doctores orthodoxi omnes & *n pauci,*
*quos citat Galatinus lib. XI. c.*11. Re *nen mu-*
neri adjiceretur, non poterat eſſe *i* *propitia-*
torium ut ſupra diximus, nec poter *vum vel*
voluntarium ſi eſſet expiatorium;quo *Num.*15.
ubi de votivis & voluntariis oblation *,huc tra-*
hitur ad Miſſam tanquam ſacrificiun *um. Nec*
Galatinus favet, qui cum Rabbinoru *ſp.* 590.
edit. Francof: recenſuiſſet, ſubjungit *us omni-*
bus clarè patet judaica ſacrificia olim *mandata*
tempore Meſſiæ ſpiritualiter ſervand

SECTIO ULT

Explicans veram de M com-mat. II. Sententiam.

§. I.

LIcet multi adhuc ex Pontificiis *ſent, qui*
Miſſæ ſacrificium deprædica *cum non*
no

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746979126/phys_0105
DFG